# DE L. MUNATI PLANCI SERMONE.

VON

AUGUST RHODIUS.

WISSENSCHAFTLICHE BEILAGE ZUM JAHRESBERICHT
DES
GYMNASIUMS ZU BAUTZEN.
OSTERN 1896.

BAUTZEN.
DRUCK VON E. M. MONSE.

1896. Progr. Nr. 542.

9ba
19 (1896)

542 B

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Commentatio Budissae anno 1894 edita, qua fusius de L. Munati Planci syntaxi et de simplici quidem enuntiato disserui, ad unam sermonis Planciani partem pertinet; nunc universae huius materiae varias partes pressius distinctiusque tractaturus sum. Planci enim undecim epistulae, quae in decimo epistularum ad familiares libro exstant, cum multa habeant singularia, praecipue dignae mihi videntur, quae perlustrentur atque examinentur, praesertim cum, quantum scio, qui huius auctoris sermonem accuratius tractaret, adhuc nemo exstiterit (cf. Gymnas. 1895 p. 591). Totam autem rem tractandam puto digerendam esse in quattuor partes, quarum prima est de verborum singulorum forma et notione, altera de enuntiati et simplicis et compositi syntaxi, tertia de verborum dispositione, postrema de universa epistularum elocutione.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## PRIMA PARS.

# DE VERBORUM FORMA ET NOTIONE.

Uniuscuiusque verbi duae quodam modo sunt partes, quarum altera in specie et forma, altera est posita in sententia et argumento. Hanc singulorum verborum notionem sententiarum conexu illustratam pro sua quisque indole scriptor potest commutare, ita tamen, ut sententia translata ex propria possit deduci. Verborum, quae flexione variantur, forma, sicut pronuntiata est, per scripturam est confirmanda atque definienda, quae tamen ipsa non ubique sibi constat. Plancum quidem in verborum cum flexione tum scriptura nonnulla habere propria et singularia, is praecipue codex testatur, quo certissimo huius auctoris epistulae traditae sunt.

## A. De verborum scriptura et flexione.

### 1. De litterarum assimilatione, geminatione, elisione.

In omnibus his epistulis verborum scriptura, a qua initium duci aequum est, ad codicem, quem optimum et vetustissimum habemus, Mediceum videtur revocanda. Cuius codicis nobilissimi ad noni saeculi exitum provehendi quin Ludovicus Mendelssohn[1]), qui ante hos paucos annos epistulas cum codicum varietate edidit, in Planci quoque epistulis quam accuratissimam expresserit imaginem, nulla potest esse dubitatio (cf. praef. p. XX in., XXX sq.); etiamsi illius editionis scriptura in litterarum assimilatione nusquam fere sibi constat, cf. pro multis exemplis *collega* 18, 2 et 23, 3, *conlega* 8, 4 extr.; *impedit* 23, 6 et similia saepius, uno loco (11, 3) *inpedient; absit* 18, 3, *apsim* 23, 1, (*absim* Mc H D). Quod etsi haud ita multum refert, cum ex codicis quamvis boni scriptura, quae Planci fuerit scriptio, non statim possit conici atque cognosci, tamen memorabile videtur, quod, cum in numerali *mille* numerus pluralis a singulari differre soleat amissa geminatione, cf. Varro L. L. 9, 87, etiam in formis *millia* (17, 1, cf. Mend. ad l.) et *millium* 23, 2 in. litteram liquidam geminatam videmus, non item in forma *milibus* 15, 3 et 11, 2.

In litterarum elisione multum interest, utrum scribenti an loquenti littera interciderit. Hoc (e. gr. 23, 1 *maximest* et paulo ante *reprensio*) cum Planci non sit proprium, minus est memorabile; alterum tritum est in verbis iaciendi compositis, ut una littera scripta duae loquentis contineantur, cf. *traicere* 9, 3 11, 2 extr. 18, 2 21, 6. Simile quid factum est in multis adiuvandi formis, ut semivocalis legenda sit iuxta vel post vocalem solam scriptam, neque vero solum in eis, quae a perfecto *adiuvi* deductae sunt r littera sequente, in quibus Kühner (Gr. I 502 A. 2) hanc licentiam concessit: 15, 4 in. *adiuerit*, cf. Ter. Phorm. 537, Dziatzko ad l., 24, 7 *iuero*, cf. Cic. de sen. init., fr. Enn. XI, 9 M. p. 46, sed etiam in aliis: 17, 2 *iuare*, 9, 2 *adiuante*, 15, 2 *adiuandum*. Quae scriptura licet alioqui in hoc codice inveniatur, cf. Fam. 6, 4, 4, in nullius tamen saepius quam in Planci epistulis tradita est.

Verborum formas in exitu intercisas prae plenis non esse reiciendas, ab ipso docemur Cicerone (Or. 157) atque Plancus breviorem formam, ubicunque conformari potuit, adhibuit, veluti *audieram, scii, redisse* 4, 1, *vocasti* 7, 2, *decreram* 21, 2; *nosse* 24, 5, *noram* 23, 1, cuius verbi in formis Plancus convenit cum Cicerone, differt a Caesare, cf. Antib. s. v. Quae omnia eo minus offendunt, quod idem codex Mediceus etiam duriora praebet; Cic. 7, 1, 2 'decesse', § 6 'praetermisse', 7, 18, 3 'commosse'.

[1]) M. Tulli Ciceronis epistularum libri sedecim. Edidit L. Mendelssohn. Lipsiae in aed. Teubneri 1893.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pronominis personalis dativus **mi** tota syllaba deminutus in undecima Planci epistula repetitur in eadem locutione: § 1 *non videor mi*, § 2 *mi videor*. Brevior pronominis forma sermonis familiaris propria agnoscenda est, cum, quo quis magis ab elegantioribus ad cotidiana verba accedit, eo saepius hanc formam adhibeat. Itaque Cicero, quot huius formae exempla in omnibus ad fam. epistulis exstant, totidem (sc. octo, cf. Neue I p. 351) in uno libro earum admisit, quas ad Atticum scripsit, quo familiarissime eum usum esse constat. Praeterea usurpavit formam contractam D. Brutus F. 11, 11, 1, Q. Cicero 16, 27, 1, Caelius bis 8: 4, 5 17, 1, cf. Becher p. 11; Vatinius vero in quinti libri decima epistula, quae sermonis cotidiani vestigia prae se fert, quot sunt paragraphi, toties hanc formam adhibuit, cf. Schmalz[1]) (Mannh. 81 p. 33) a quo de usu Horatii admonemur, qui poeta formam imminutam in saturis novies protulit, semel in epistulis (1, 18, 112), in carminibus nusquam. Quare Hellmuth (Würzb. 88 p. 33) in Balbi ep. (Att. 9, 13 A § 2) hoc pronomen, quod a Cicerone quater cum 'videri' coniunctum esse idem memorat, loco Plancinis simillimo recte mihi videtur inseruisse.

## 2. De formarum vetustiorum conservatione.

Nonnullae in Planci epistulis vetustiores verborum formae leguntur, in quibus quin Mendelssohn 9, 3, ubi HD divulgatam formam *opposuerit* praebent, antiquissimi codicis Medicei fide nisus vetustiorem *opposierit* recte receperit, haudquaquam dubito, cf. Neue II² p. 491[2]), Guericke 47 sq.[3])

Eidem codici 8, 5 et 21, 1, ubi participii fut. pass. priscam formam *defendundus* hic optimus praebet, licet tribus illius ep. paragraphis (8: 3, 6, 7) usitata *defendendus* in omnibus exstet, praeter ceteros fidem habeamus oportet, ac memorabile mihi videtur, quod utroque loco oratio figura quadam rhetorica insignita paulo altius se effert; nam 8, 5 *cura* personae agit partes, 21, 1 bis eadem vox *omnia* primum sententiae locum obtinet. Eadem participii forma exeunte Cic. or. pro Rab. perd. reo (§ 35) servata est in palimpsesto Vaticano anaphorae figura similique sententiarum clausula identidem adhibita.

Neque huius nobilissimi codicis auctoritatem, id quod Wesenberg[4]) fecit, minoris faciendam puto 24, 1, ubi sine dubio praestat cum Mediceo scribere *lubenter*, quam cum HD *libenter*, licet hanc formam codices omnes praebeant 17, 3. Suo igitur iure Mendelssohn in hoc adverbio scribendo variat, qui in eius modi vocabulis veteres 'putidam adfectasse aequabilitatem' his ipsis negat verbis in praef. p. XXXI.

In duobus certe adverbiis, quin vetustiores Plancus formas conservaverit, nulla est dubitatio.

Adverbium loci hoc secundum alias eius modi formas 'eo' et 'quo' recte conformatum pro usitatiore forma 'huc' a vetustioribus praesertim scriptoribus usurpatum esse Servius (ad Verg. Aen. 8, 423) testatur relegans ad Verrium Flaccum, neque tamen recentiores hanc adverbii formam plane aspernatos esse C. F. W. Müller (annal. philol. 1866 p. 496) demonstravit; omnia fere exempla Neue collegit II³ p. 613; uno loco 'hoc' in tragicum sermonem irrepsisse videtur (Acc. 292 R.). In Planci epistulis saepius hoc adv. legitur: 21, 5 et § 6 bis et 11, 2, cf. Mend. ad p. 251, 2; 23, 6 autem *hoc* cum subsequenti adiectivo coniungendum et ipsum neutri generis est pronomen, cf. Andresen[5]) ad l. Praeterea illud adv. adhibuit D. Brutus 11, 10, 3, Lentulus 12, 14, 4, cf. Köhler p. 19, Balbus Cic. ad Att. 8, 15 A 1, cf. Hellm. p. 35, nec non Caelius 8, 6, 4, cf. Becher p. 12, Burg p. 17. Simili adverbio 'istoc' idem

[1]) Ut omnes libri, qui sunt de epistularum sermone, sub uno adspectu proponantur atque enumerentur: praeter illud programma, quo Opitz Naumb. 1879 universam hanc materiam percucurrit, de omnium, qui ad Ciceronem epistulas dederunt, dicendi genere scripsit J. H. Schmalz a. 1881 (Zeitschr. f. Gymn. W. p. 87—141) singulatim eodem anno (progr. Mannh.) de P. Vatinii sermone, de Pollionis postero (Karlsr. Festschr. z. 36. Philol. Vers. p. 76—101). Praeterea singulorum sermonem tractaverunt: K. Schirmer M. Bruti 84 (progr. Metz), H. Hellmuth S. Sulpicii Galbae et L. Cornelii Balbi 88 Würzb., M. Caelii Rufi F. Burg Lips. 88 (diss. Freiburg) et F. Becher (progr. Ilf.) eodem anno, P. Corneli Lentuli A. Köhler Nürnb. 90, D. Junii Bruti denique E. Gebhard diss. Jen. 1891.

[2]) Fr. Neue, Lat. Formenlehre, I. u. III. B. in 2. Aufl., II. B. 1. u. 2. T. neubearb. v. C. Wagener.

[3]) Guericke, de linguae vulgaris reliquiis apud Petron. et in inscriptionibus pariet. Pompeian., diss. Regim. 75.

[4]) M. Tulli Ciceronis epist. recognovit Wesenberg. Vol. I. ad fam. Vol. II. ad Att. Lips. Teubn. 80. — Emendationes alteras sive annotatones criticas ad Ciceronis epistolarum editionem scripsit Wesenberg. Lips. Teubn. 83.

[5]) Ausgew. Briefe von M. Tullius Cicero, erkl. von Fr. Hofmann. 2. Bndch. bearb. von G. Andresen. 3. Aufl. Berl. Weidm. 1895. 1. Bndch. 6. Aufl. besorgt von K. Lehmann. Berlin 92.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Caelius ter est usus, cum Plancus variasse videatur: 17, 2 *isto proficisci*, 21, 7 *istoc recurrere*. Universo harum epistularum usu collato cum Caesaris, qui constanter 'huc' posuit, et Ciceronis, qui alteram formam ne in epistulis quidem admisit, 'hoc' probatur in familiari sermone diutius servatum esse, cf. Wölfflin, Arch.[1]) VII p. 332.

Cum Cicero (Or. 157) breviore forma 'mehercule' libentius se uti dicat quam *mehercules*, pleniorem tamen compluribus locis in epistulis eius legi Neue testatur (II p. 992: F. 7: 16, 2 32, 3 10, 19, 2 13, 1, 4, cf. Schmalz Vatin 81. p. 35); Plancus constanter, ut Caelius, integram *mehercules* adhibuit: 11, 3 18, 3 23, 1 24, 1 et 6. Hanc familiaris potius sermonis fuisse, cum illa elegantioris esset, Apulei quoque usu demonstratur, cf. Friedländer[2]) ad Petron. cap. 33 p. 211, Segebade[3]) observ. p. 9.

### 3. De nominum flexione.

Quae sermo familiaris ex vetustiore linguae aetate retineret, ea Plancum libenter in usum suum convertisse etiam magis apparebit eis perlustratis, quae singularia habet in nominum flexione.

Vetustiorem loquendi usum redolet Planci gen. fide 17, 3 *quo obside fide illius — uterer*, quam optimi codicis formam Mendelssohn in textum recepit, Wesenberg reiecit Em. alt. p. 35; neque tamen est, cur reiciamus, cum ipse Caesar Gellio teste (9, 14 extr.) in libro de analogia secundo 'huius die' similiaque dicenda esse existimaverit, gen. 'acie' traditus sit b. G. 2, 23, 1. Bücheler[4]) quidem p. 35 hanc genetivi formam illa fere aetate admodum usitatam fuisse dicit et multa cum vetustiorum tum Planci aequalium exempla afferri possunt, huius enim vocabuli gen. ex poeta prolatus legitur ap. Cic. de off. 3, 98 'Fide sacratae ius', cf. Ribb.[5]) fragm. trag. inc. 60, saepius apud Plautum: Pers. 193, Poen. 890, cf. Brix ad Trin. 117; eundem Horatius adhibuit C. 3, 7, 4, cf. Bentl. ad l., Ovidius pluribus locis, quos congessit Neue I² p. 377, cf. Met. 3, 341 'fide — temptamina', 7, 728 'temptamenta fide', imprimis 6, 506 'fide pignus'. Nihil igitur est, quod hanc formam codicis Medicei auctoritate nixam Planco tribuere gravemur.

'Fide' genetivo, qui est quartae dativus similiter contractus, impetu defenditur 24, 3 *non enim, si quid in his exercitibus sit offensum, magna subsidia res p. habet expedita, quibus subito impetu ac latrocinio parricidarum resistat*. Quem casum cum omnes fere editores inde a Manutio dativum agnovissent, unus v. d. (Schmalz, cf. Mend. ad l.) an ablativus intellegendus esset, dubitavit, sed, ut mihi videtur, iniuria; nam verbum resistendi, quamvis saepe obiecto careat, e. gr. Caes. G. 4, 7, 3, hoc tamen loco nominis dativo indigere puto; Plancus enim, quamquam suas Brutique legiones tam firmas esse non putat (§ 3 ex. et § 4 in.) ut aliis copiis non adiunctis Antonium aggredi audeat, suis tamen Brutique copiis exceptis reipublicae subsidia suppetere negat (verbis supra ex § 3 allatis) quibus Antonio aggredienti possit resistere. Dativum igitur sententiarum conexu requiri patet, neque hanc brevem dativi formam ab illius aetatis consuetudine recedere Bücheler (Grundr. p. 57) docet, quam non solum poetae usurparunt, verum etiam prosae orationis scriptores, velut Sallustius, Livius, Tacitus, cf. Neue I² p. 357 et Mend. ad F. 10, 31, 4 'ut senatu scribam'. Ipse Caesar et praescripsit in libris, qui sunt de analogia, cf. Gell. 4, 16 extr., et adhibuit hanc dativi formam, velut G. 6, 42, 1, nec non Cicero, cf. F. 16, 4, 2 'sumptu ne parcas', 13, 71 'magno usu — fuisse', Mend. ad l. Itaque, ut gen. 'impetus' uno loco defenditur (Cic. divin. 1, 111), ita Planci locus, ne dativum huic vocabulo derogemus, impedit.

Bis in Planci epistulis genetivus plur. in **um** desinit, cum exire soleat in bisyllabum orum: 8, 6 et 23, 3 *deum benignitate*. Breviorem huius genetivi formam inde a vetustissimis poetis usque ad Ciceronis aequales (cf. Or. 155) in familiari praecipue sermone permansisse testis est Servius F. 4, 5, 4, cf. Varro L. L. 8, 71 'appellant omnes aedes deum Consentum et non deorum Consentium'. Ipse tamen

[1]) Archiv für lat. Lexikogr. und Grammatik, herausgeg. v. Ed. Wölfflin. Leipz. Teubn. 1884 flgg.
[2]) Friedländer, Petronii cena Trimalchionis mit Übers. u. Bem. Leipz. 91.
[3]) Segebade, observationes crit. et grammat. in Petron. diss. Hal. 80.
[4]) Bücheler, Grundriss der lat. Declination. Leipzig 1866.
[5]) Tragicorum Romanorum fragmenta sec. curis rec. O. Ribbeck. Lips. Teubn. 71.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cicero ne in formula quidem mutationi minus obnoxia 'pro deum hominumque fidem' ubique sibi constitit, cf. Tusc. 5, 48 'pro deorum atque hominum fidem', praeterea priscam formam semel adulescens adhibuit pro Roscio com. § 33 'deum immortalium benignitate'. Quid quod Horatius poeta ex viginti sex locis, quibus genetivum usurpatum esse ex editionis Bentleianae[1]) indice videmus, duobus 'deum' posuit, quorum uno praecipue id agere videtur, ut verborum et notione et forma de prisca aetate legentes admoneantur: Sat. 2, 2, 10 'templa ruunt antiqua deum'. Memorabile igitur, quod Plancus in hac terminatione magis cum historicis facit Pollione (ap. Sen. suasor. 6, 24 'munere deum', quae locutio redit ter in Taciti annalibus) et Livio (cf. e. gr. 5, 20, 3 'deum imm. ben.', Neue I² p. 109) quam cum iis, qui sermonis elegantia inter omnes praestant, Cicerone et Caesare (cf. G. 5, 52, 6).

## B. De verborum delectu et usu.

### 1. De adverbiis.

Ut ab adverbiis[2]) initium ducamus, Planci *pulchre nosse* 23, 1, quod idem fere valet quod 'bene nosse' (Balb. in epp. ad Att. 9, 7 B § 2) cum eadem locutio reperiatur in Hor. Sat. 1, 9, 62, ex sermone familiari haustum cognoscitur.[3])

Ex adverbiis in iter[4]) desinentibus, quae in sermone cotidiano admodum dilecta sunt, alia rariora Plancus usurpavit, alia insolentius cum verbis coniunxit. Illo in numero habendum videtur adv. salutariter, quod ceteroqui perrarum bis a Planco adhibetur: 23, 2 *sal. se recipere* et 24, 2 *nihil non sal. cogitare.*[5]) Fideliter, quod adv. nisi ad res necessitudine quadam nobiscum coniunctas Cicero transferri posse negat F. 16, 17, 1,[6]) audacter cum verbo coniunctum est 23, 2 *fideliter patet iter*, ubi adv. pertinet ad Vocontiorum fidelitatem, per quorum fines iter Planco faciendum erat.

Adv.[7]) novissime Plancus adhibuit 17, 3, ubi adverbii 'postremo' vice fungitur;[8]) in enumeratione *primum — deinde — novissime* idem[9]) usurpavit 24, 2 aliquanto ante Rutilium Lupum (schem. § 8).

*Maturo tempore* 8, 1 fieri dicuntur, quae suo tempore fiunt, sed cum id, quod mature[10]) fieri dicitur, opinione celerius factum esse videatur (cf. Gell. 10, 11), adv. 'mature' similiter atque nostrum 'zeitig' celeritatis sensum accepit, velut in Planci ep. 9 § 1 *quo maturius*. Celeritatis significatio premitur compositione *praematura denuntiatio* 8, 4 extr., quod adi. a Cicerone nusquam usurpatum postea (Col. 11, 3, 51; Plin. Tac.) increbuit.

---

1) Q. Horatius Flaccus ex recensione et cum notis R. Bentleii. Berol. Weidm. 1869.

2) Adv. 'usque' 7, 2, quod 'eo' omissum videtur, ubi de Planci breviloquentia dicam, mihi tractandum puto.

3) Quae Planci locutio collata est in Antibarbaro (v. Krebs, 6 A. v. Schmalz 1. B. 86, 2. B. 88) s. v. 'pulchre' cum Caesaris simili servata a Sen. de ben. 5, 24, 2 'cognoscere p.', Bruti et Casii F. 11, 3, 3 'p. intellegere', Plautinis fabulis (cf. Brix ad Mil. gl. 405 'peribis pulchre') etiam latius apud Terentium illius adverbii usus patet, qui 'pulchre' non solum cum verbis coniunxit, velut 'p. procedere' Ad. 5, 9, 22, sed etiam, quod scriptores probatissimi non fecerunt, cum adiectivis, cf. 'pulchre sobrius' Eun. 728 et Wölfl. Arch. I p. 573.

4) Adv. 'amabiliter', quod perrarum esse Neue II³ p. 684 testatur, cf. praeter Horatii (Ep. 2, 1, 147 sq.) 'libertas — lusit amabiliter' Antonii ep. (ad Att. 14, 13 A § 2) 'si — amabiliter in me cognitare vis' in comparativo legi puto apud Plancum 11, 1 'si de filii tui dignitate esset actum, amabilius certe nihil facere potuisses', ut legitur in Ovidii verbis (Art. amat. 3, 675) 'spectat amabilius iuvenem'.

5) Posterior locutio Planci propria videtur, cf. Neue II p. 704, progr. quod scripsi de syntaxi Planci Budissae 1894 p. 12 adv. 18 sq., ubi addidi exemplum CIL VI 1527 lin. 10 'sal. latuisse'.

6) Quo loco Cicero adverbii in locutione 'valetudini fideliter inserviendo' perperam adhibiti auctor fieri non vult.

7) Adiectivum 'novissimus', quod a re militari petitum (cf. Galbae ep. F. 10, 30, 4, Hirt. b. G. 8, 48, 3) in sermonem cotidianum Varro (L. L. 6, 59) sua memoria vulgo receptum esse tradit, uno Ciceronis loco invenitur (pro Rosc. com. § 30), D. Bruti unius ep. tribus continuis paragraphis (F. 11, 1: 3. 4. 5).

8) Eadem notione ante Plancum praeditum est a Valerio Ant. fr. 14 Pet. p. 155; ex Planci aequalibus cf. impr. C. Cassii ep. F. 12, 13, 3.

9) Quod neglexit Landgraf Bl. p. 280 (Blätter für das Bayerische Gymnasial- u. Real-Schulwesen, B. 16, Münch. 1880: Bemerkungen zum sermo cotidianus). Post alios hac de re accuratius disputavit Gebhard (diss. Jen. 91) p. 48 sq.

10) Huius adv. variis notionibus Plautus lusit Curc. 380 sq., cf. Landgr. ad Rosc. Am. § 128 p. 361, qui v. d., quod 'mature' dubia fuerit notione, 'praemature' minus usitatum (Plaut. Most. 500, Afran. 335, cf. Gell. l. l.), circumlocutiones in usum receptas esse demonstrat exemplisque confirmat, in quibus similem atque Planci 8, 1 sententiam praebet Seneca ep. 22, 6 'si nec properemus ante tempus nec cessemus in tempore'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## 2. De nominibus.

### a. De adiectivis.

In adiectivis Planco gratissimis est integer: 8,7 17,1 21,5 24,3, cf. Landgr. Bl. p. 279; praeterea 'singularis' 9,2 17,3 21,4 23,4; nec non 'mediocris': 15,4 'm. modo fortuna', § 2 'ne mediocrem quidem equitatum', negatione praemissa 7,2 11,1; cf. adv. eadem condicione 23, 2 extr.

Neque a vocabulis nimis rem augentibus Plancus abhorret; ita 11,1 immortales se agere gratias profitetur, cf. Landgr. l. l.; ibidem Vitruviano prope exaggerandi more[1]) Ciceronis munera 'infinita' praedicat, rectius 8, 3 moderatis 'infinita' opponit praemia, cf. 10, 32, 4 (in Pollionis ep.) 'infinitis pollicitationibus incitare', Schmalz 1890 p. 51.

### b. De substantivis.

'Chirographum' magis ideo memorabile videtur, quod hoc fere solum vocabulum a Planco ex lingua graeca desumptum est, quam quod 21, 3, ubi bis legitur, paragrapho ineunte huius nominis singulari numero ipsius scribentis manus significatur *suo chirographo — litteras*, eadem paragr. ex. plurale idem voc. ad ea pertinet, quae manu alicuius conscripta sunt: *ipsa chirographa omnia.*[2])

Minus definite Plancus homines necessarios significavit 24, 1, ubi sine dubio *gratas amicitias* et *pias propinquitates* gratos amicos piosque propinquos voluit intellegi.[3]) Simili ex usu 24, 6 *gloria* usurpatur pro re gloriosa.

Unius nomine plures significantur, ita ut omnes eiusdem generis uno exemplari comprehendantur 24, 3 extr. *quantum tironi sit committendum.*[4])

Paulo insolentius Plancus numerum pluralem posuit 11, 3 *omnia opsequia polliceri*, neque tamen iniuria, quod obsequentis voluntas in pluribus rebus apparet, cf. 15, 1 ex. *ut obsequio meo ad omnis res abuteretur*; idem 23, 5, cum plures irae causas allaturus esset, habuit cur *iracundias recentis* diceret.[5])

Numero plurali *pontis* 23, 3, quod Andresen ad l. voluit, plura unius pontis iuga significari puto. Unum quidem pontem se fecisse subinde ille tradit: 15, 3 21, 2 18, 4 celerrimeque se recessisse affirmat 23, 3, ut novi pontis faciendi vix ei facultas data esset.

Exiguum temporis spatium horae[6]) nomine a Planco significatur 18, 3 *non mehercules horam constitisset*, cf. Prop. 1, 6, 11 'his ego non horam possum durare querellis'. Huic speciali plerumque generale temporis nomen a probatissimis scriptoribus substituitur; cf. Pollionis 'omnium horarum esse' Quint. 6, 3, 110 et Cic. de or. 2, 271 'cuivis tempori esse'.

In voce deminutiva *febricula* 21, 7 utrum primaria quae fuit notio evanuerit an servata sit, non pro certo proponendum videtur,[7]) cum febricula, quamvis *assidua* designetur et *satis molesta*, non debeat gravis esse et periculosa.

Vocabulum rarum *exemplar* praeter unum Ciceronis locum (Att. 4, 5, 1) Planco (21, 3 extr.) commune est cum Pollione (31, 6, cf. Schmalz p. 36).

---

[1]) Cf. acta sem. Erlang. I p. 464 (p. 367—476 A. Köhler, de auctorum bell. Afr. et b. Hisp. elocutione) ubi praeter alia exempla affertur Vitruv. 3, 1, 2 'magnas et infinitas laudes'.

[2]) Eadem notionis vicissitudine a Cicerone illi vocabulo tum (Phil. 2, 8) 'librarii manus' opponitur, tum (Brut. 277) alia nomina iuridicialia adduntur.

[3]) Ipse Cicero huius modi abstracta pro concretis posuit ad Q. fr. 1, 1, 12 'quos aut ex domesticis convictionibus aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti', cum Cicero filius F. 16, 21, 4 et 5 nomina convictionis et convictorum accurate secernat. Ex eis, quae Andr. ad l. affert, exemplis simillimum est Tac. Agr. 44 'salvis affinitatibus et amicitiis'.

[4]) Hic usus Planco cum historicis: Livio, Curtio, etiam Caesare (cf. G. 6, 33, 8 'ut potius — Gallorum vita quam legionarius miles periclitetur') communis est.

[5]) Cf. quae Brix ad Trin. 490 Plauti similia attulit: Trin. 36 'gratias', Mil. 583 'iras', cui vocabulo hunc numerum saepius Livius tribuit, velut 4, 53, 10; praeterea F. 5, 9, 1 in ep. Vatinii 'obtrectationes et insidias', Schmalz p. 40; Cic. F. 1, 7, 7 'malevolentiss. obtrectationes', praecipue ad Q. fr. 1, 1, 39 'implacabiles iracundias'.

[6]) Quod vocabulum quo praesertim in dicendi genere viguerit, locutio quoque 'mutari in horas' Horatio (Ep. 2, 1, 189, A. 160) cum Cicerone (ad Att. 14, 20, 4) communis, sed in epistulis potissimum usurpata, documento esse potest.

[7]) Accedit, quod valetudo incommoda huius modi vocabulis significari solet, in familiari praesertim sermone, cf. ex Ciceronis ad Att. epistulis: 'febricula' 6, 9, 1 7, 8, 2 12, 1, 2, 'nauseola' 14, 8, 2, 'commotiuncula' 12, 11, quae exempla Stinner contulit (progr. 49 Oppeln p. 7).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Actionis admodum rara haec sunt nomina: *frustratio* 23, 5 extr., Ciceronis quidem aetate, legitur tamen apud Plautum, postea saepius ap. Livium, *exhortatio* 7, 1, quod nomen postea apud Quintilianum et Tacitum redit, *efflagitatio* 24, 6, quod a Cicerone semel usurpatum F. 5, 19, 2 'admonitio vel potius efll.' praeterea invenitur ad Brut. 1, 16, 11.

### c. De participiis.

Participium 'fervens' plerumque ad animi indolem et affectum, rarius ad personam referri, relatum cum ablativo causae coniungi solere Andresen ad 23, 3 *ab illis ferventibus latronibus* recte adnotavit neque tamen posterioris usus nisi postremi poetae Romani[1]) ullum attulit exemplum; sed qui requiritur ablativus, Planci loco non tanto opere desideratur, quia, cur interciderit, facile intellegimus et qui supplendus sit ('furore' vel 'iracundiis') § 5 in. apparet. Verumtamen, quam acceptum hoc verbum cum participio suo in sermone familiari fuerit, illius aetatis testis est Caelius,[2]) posterioris Petronius.[3])

Participio 'expertus' passiva notio tributa est 24, 3 *quantum — sit committendum, nimium saepe expertum habemus,* quod primum Catonem fecisse Wölfflin adnotat ad b. Afr. p. 140 lin. 11.[4]) Hanc participii ambiguitatem vulgaris[5]) potissimum sermonis propriam fuisse docet Rebling[6]) ed. alt. p. 37; cf. praeterea Schmalz Münch. 90 p. 14.

## 3. De verbis.

### a. De verbis simplicibus.

Familiarissime Ciceronem alloquens Plancus 23, 7 locutionem adhibuit in sermone cotidiano usitatissimam 'carum habere aliquem', cf. Hellm. progr. p. 54, Thielm. Arch. II 385.

Verba voluntatis composita simplici praevalente raro in Planci epistulis leguntur; nam cum 'velle' compluries comparativum asciverit, velut *potius — volui* 18, 3, negationem etiam, quacum verbum non coaluit, praemissam patiatur 8, 1 *non — volo,* videtur factum esse, ut *malo* uno loco scriptum exstet 24, 1, 'nolo' nusquam legatur.[7])

'Cupio alicui' quod explicatur 'amicus sum' in epistula, quam Cicero ad Quintum fr. dedit 1, 2, 10, Plancus exhibet 4, 4 *cui maxime cupio.* Qua locutione et crebrior est et elegantior videtur Ciceronis 'cupere omnia alicuius causa'.[8])

Facere, cuius verbi generalissima est notio, in enuntiato primario omnibus fere verbis substitui potest, cuius generis plura in Planci epistulis exempla reperiuntur, sive sequitur verbum speciale ita maiore vi prolatum: 21, 1 *omnia feci, quare — resisterem,* 17, 3 *Lepidus, quod ego desiderabam, fecit, ut mitteret,* sive praecedit: 24, 6: *quicquid tibi scribo, dolenter mehercules magis quam inimice facio.*[9])

---

[1]) Claudian. in Rufin. 1, 100 'lucrique cupidine fervens'; hunc ablativum causae rectius universo verbo quam soli participio adsignari testimonio est Horat. Ep. 1, 1, 33 'fervet avaritia miseroque cupidine pectus', quod aptius videtur eo, quod Andresen ex eodem poeta attulit: Sat. 1, 10, 62 'rapido ferventius amni ingenium', ubi part. ablativo comparat. circumdatum est.

[2]) Caelium adverbia 'ferventer' et 'ferventissime' usurpasse (8: 8, 2 ferv. loqui; 6, 5 ferventissime concerpitur) ibid. Andr. adnotat.

[3]) Is de homine, cuius animus facile effervescit, quem 'caldicerebrium' vocat cap. 58, subinde hoc verbum adhibuit; cap. 57 'non mehercules soleo cito fervere', 59 'sanguen illi fervet', synonymum 'excanduit' ibid. legitur 53 et 57; fervendi incohativum Lucretius usurpavit 3, 258 'in ira cum fervescit' (animus), 3, 295 'iracundaque mens facile effervescit in ira'. Plura de hac metaphora excunte hac commentatione afferam.

[4]) Ibidem admonemur 'virtutis expertae' locutionem per Pollionem in historicorum genus dicendi receptam esse.

[5]) Neque poetas ancipitis huius participii potestatis expertes esse his Propertii exemplis facile demonstratur: 1, 3, 18 'expertae — saevitiae', 2, 21, 18 'experta — cavere potes'.

[6]) Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangsspr. von O. Rebling 1873. 2. Abdr. Kiel 83.

[7]) Similem apud Vitruvium horum verborum rationem ostendit Praun (Bemerkungen zur Syntax des Vitruv, Bamb. 1885) p. 14, cf. progr. de synt. Planc. p. 28.

[8]) F. 10, 19, 2 13, 75, 1; Verr. 2, 180, cf. ibid. 64, Landgr. ad Rosc. p. 395.

[9]) Negatione praemissa 'committere', quod vertimus 'es nicht dahin kommen lassen', eadem fere ratione qua 'facere' usurpatur 4, 3 'nec nunc comittam, ut — reprehendere iure possis' et 24, 8 'neque tamen — commissari sumus, ut — detrimentum resp. accipere possit', cf. de D. Bruti ep. 11, 20, 1 Gebhard p. 31, quaeque Ciceronis et Caesaris has inter sententias similitudo intercedat; F. 3, 8, 1 'faciendum mihi putavi, ut responderem', b. G. 1, 46, 3 'committendum non putabat, ut — dici posset'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Faciendi verbum non solum ita abundanter usurpatum sed etiam cum acc. rei et dativo personae coniunctum propius ad sermonem familiarem accedit: 18, 2 *res mihi facit timorem*, cf. Landgr. Bl. p. 327; elegantius Plancus scripsit 23, 5 extr. *eis — dolorem attulit*,[1]) familiariter Cicero 'dolorem facio tibi' ad Att. 11, 8, 2. Planci locutioni *accessionem sibi facere* 18, 3 eiusdem genus passivum respondet 9, 1 *fieri accessiones*.[2])

b. **De verbis compositis.**

In verborum compositione Plancus nusquam fere ad eum sermonis plebei usum descendit, ex quo verbum compositum a simplicis notione non accurate secernitur.[3]) Immo subtili sensu, quae apta esset verbi compositi praepositio, repperit. Ita 7, 2, ubi res indicatur, quae, cum multis esset impedita difficultatibus, non facile poterat neque celeriter confici, rectissime adhibuit perducere; de re eousque integra sed dubii eventus non minus scite deducere usurpavit 24, 4 *summam remp. in discrimen deduceremus*, cf. § 3 in.; suo iure idem verbum 23, 4, cum rei condicio significetur priore inferior vel deterior, *in fraudem deductus*, cf. Cornif. 4, 13 extr.[4])

Demittendi similem esse usum atque deducendi probatur collatis Cael. 8, 10, 5 et Cic. Phil. 13, 31 extr.; utrobique enim cogitatur de loco circumcluso, unde exitum reperire difficile sit; similiter Plancus scripsit 8, 2 *cum in eum casum me fortuna demisisset*, cui verbo quod respondet intransitivum in Servii ep. traditum est F. 4, 5, 6, 'quoniam in eam fortunam devenimus'.

Polliceri similia praecipuum in Planci epistulis locum obtinent. Nam cum Cicero variaret, cf. F. 16, 5, 1 'omnia polliceri', Phil. 2, 89 'omnia promittere', Caesar hoc reiecto illud frequentaret, Plancus ex huius scriptoris consuetudine scripsit: 8, 3 *quae rei p. — polliceremur*, § 1 *quicquam ulli pollicendum*, § 2 *celeriter pollicendo*, § 7 *haec si polliceor*, deinde in singulari quadam locutione 11, 3 *omnia ei opsequia polliceor*, coniunxit denique 'polliceri' cum altero verbo simile quid significanti 21, 1 *omnia ei et petenti recepi et ultro pollicitus sum*[5]) cf. progr. p. 27 adn. 18, Landgr. ad Rosc. p. 338.

Recipere graviore quam pollicendi verbum notione praeditum etiamsi praeter 21, 1 bis legitur 9, 1: paragr. ineunte in bipartito enuntiato concinnitate sua memorabili, repetitur 17, 1 extr., plena tamen locutionis forma 'recipere in se' a Cicerone identidem[6]) adhibita nusquam in Planci comparet epistulis.

Exputare, quod verbum 24, 6 legimus: *quae mens eum — transtulerit, exputare non possum*, praeter vetustiores poetas[7]) nusquam fere invenitur; exigere cum aliquo, quod paulo post (§ 7) legenti occurrit, simplici verbo aliquanto gravius esse Andresen ad l. adnotat coll. Plin. ep. 6, 12, 3.[8])

Praepositionem prae[9]) Plancus verbo composito praefixit in participio perf. 15, 4 *praecognito adventu*, secutus est Suetonius Aug. 97 verbo finito accedente *mors praecognita est*.

---

[1]) Cf. Cic. Fin. 1, 37, ubi 'afferre' et 'efficere' inter se respondent. 'Metum — terrorem facere' impr. apud Livium legimus, cf. 9, 41, 11 10, 25, 8.

[2]) Ciceronem, cum pluribus locis admiserit passivam locutionem 'seditione facta', eandem activam, qua Pollio usus est, aspernari monet Schmalz p. 47.

[3]) Itaque et 'commendare' 8, 7, quod D. Brutus pro simplici usurpavit 11, 10, 2 'litteris c.', in his epistulis (24, 7) a mandandi notione differt, et 'depugnare' 21, 6 (cf. b. Hisp. 34, 3 et Köhler act. p. 385) suam retinet sententiam.

[4]) Hanc Caesaris consuetudinem fuisse probant locutiones 'in dubium devocare' et 'ad iniquam condicionem deducere' G. 6: 7, 6 10, 2; non aliam Ciceronem rationem observasse haec exempla testimonio sunt: F. 4, 2, 3 'quem in locum res deducta sit, vides', Att. 7, 3, 5 'res eo deducta est', F. 16, 12, 1 'in eum locum res ded. est ut'. De re imperfecta idem modeste dixit Cat. 2, 4 'rem huc deduxi'; Corn. Nepos de perfecta re difficillima bis (10, 5, 6 et 15, 8, 4) 'eo rem (res) perduxit'.

[5]) 'Profiteor atque polliceor' verba et ipsa simili vi praedita, quae ita iuxta leguntur Cic. F. 5, 8, 4, quod structura quoque inter se adaequantur, non mirabimur. Quod et Cicero fecit, cum variaret 'operam suam polliceri — profiteri' Rosc. A. § 20, 153, cf. Landgr., et Plancus, cum infinitivum praes., qui in locutione sermonis cotidiani 'dare polliceor' (cf. Antib. II 290) admodum frequentatus sit, suo iure a verbo 'profiteri' 24, 6 suspendit.

[6]) Cf. F. 13: 40, 3 17, 3, Hofm. II³ p. 107.

[7]) Plaut. Trin. 234; ap. Cornif. 2, 42 extr. in senario iamb. ita exeunte 'exputando evolvere', cf. Ribb. inc. trag. 177 p. 261, Thielm. p. 39 (de sermonis proprietatibus, quae leguntur apud Cornificium et in primis Ciceronis libris, Strassb. 79).

[8]) Huius verbi loco puto Ciceronem posuisse 'diligenter agere c. alqo' F. 1, 9, 9, 'expostulare' F. 3, 10, 7 5, 2, 9; pro illo Phil. 8, 19 'excogitare, quae tua ratio sit, Calene, non possum'.

[9]) Haec praep. paulatim tanto opere increbrescit in verborum compositione, ut interdum abundare videatur, cf. Pacuv. R. 358 'ad praecavendum', Pomp. (ad Att. 8 12 D 1) 'praemonui', Caes. G. 7, 49 in. 'praemetuens'; 'praemandavi' F. 5, 9, 2 in Vatinii ep., cf. Cic. pro Planc. 31 'praemandatis requisitus' q. e. 'durch Steckbriefe verfolgt'; Sueton. Aug. 96 'ante praesensit', cf. adn. seq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Idem Plancus, cum 8, 4 'praematurus', quod supra memoravimus, simplici Ciceronis adiectivi anteferret, 'praeoccupare' videtur repudiasse 7, 2.[1])

## 4. De locutionibus.

Quae Plancus dictionis suae propria habeat, quantum ad verborum delectum spectant, non tam singulis verbis contineri, quam locutionibus, quae pluribus verbis coniunctis efficiuntur, et subinde vidimus, cf. *fideliter patet iter* 23, 2, *non horam constitisset* 18, 3, *res mihi facit timorem* 18, 2, neque plura desunt exempla.

Locutio *celeriter polliceri*[2]) 8, 2, cuius sententia illustratur verbis paulo post sequentibus (§ 4 extr.) 'praematura denuntiatio', omnium, quas similes attuli progr. p. 12 adn. 17, proxime accedere videtur ad 'prolixe promittere' Cic. F. 7, 5, 1.

Plancus, cum celeriter se reciperet, se id egisse dicit 23, 2, ut Vocontii, de quorum fide non dubitaret, *sub manu essent*. Haec locutio non minus sermonis cotidiani videtur fuisse quam in Senecae ep. 71, 1 'sub manu — nascatur'.[3]) Huius sermonis quae solet esse abundantia,[4]) altero nostri, ut ita dicam, auctoris loco comparet 21, 2 extr. *subesse propinquis locis*, nam notio propinquitatis ipso verbo composito 'subesse' indicata[5]) augetur addito adverbio 'propinquis locis'.

Eadem illa praepositio ad verbum 'habere' referenda est 8, 6: *legiones habeo quinque sub signis*, eadem ratione, qua Pollio scripsit 33, 4 extr. 'Antonium — habere — legiones sub signis armatas tris'.

Dare operam cum ablativo 'deum benignitate', cuius locutionis in gen. notando supra mentio est facta, legimus 23, 3 *dedi operam deum benignitate, ut et — et — nihil*. Cuius verbi transitivi cum hac locutione coniunctio, quam minus usitatam esse Andresen ad l. adnotat, simili Livii exemplo illustrari potest 26, 41, 6 'sed cum iam benignitate deum id paremus atque agamus, non ut — sed ne'.[6])

Ut Cicero verbum alterum alteri opposuit F. 5, 11, 3 'fidem dare' et 'praestare', ita Plancus 8, 3 polliceri — exitu praestare, qui tamen addito ablativo respectus 'exitu' verborum, quorum alterum ad 'vile orationis munus' (cf. 24, 1) alterum ad ipsam rem pertinet, contrariam notionem auxit; eademque fere ratio intercedit inter 'fidem dare' 15, 2 et 'fidem solvere' 21, 3.[7]) Id tamen illis Planci verbis commune est, quod 'praestare' sicut 'polliceri' futurum tempus spectat ideoque compluries adverbio 'adhuc' opposito legitur: 24, 2 23, 6, cf. ep. Caton. 15, 5 extr. 'instituto itinere praesta'.

Locutio memorabilis ad effectum consiliorum pervenire 8, 4 confirmari potest simili Curtii 8, 13, 21 'consilii effectum morari', similiore Livii 'postquam ad effectum operis ventum est' 21, 7, 6 31, 46, 14, saepius, ut videtur, ita repetita; Cicero alio nomine substituto F. 10, 22, 1 scripsit 'ad exitum pervenire'; non minus singulares sunt addito ablativo 'exitu rebusque cognoscere' 11, 1, 'exitu praestare' 8, 3, quarum utramque infra accuratius tractabo; suspecta[8]) denique 4, 4 *sum in exspectatione omnium rerum*, cf. Kleyn obs.[9]) p. 7 sq.

---

[1]) Hic et Wieland et Mezger (in bibl. Langensch.) 'occupare' vertunt 'vor dem Munde wegnehmen'. Verbum compositum Cicero quidem nusquam admisit, cf. Q. fr. 1, 1, 38 'ante occupatur', Phil. 10, 2, ubi 'praecepit', non 'praeoccupavit' scribendum esse admonemur Antib. s. v., at Livius adv. addito verbum cumulavit 21, 20, 8 'ante praeoccupare', cf. Plaut. Rud. 1, 4, 38 'occupas praeloqui', Köhler act. p. 447, 455.

[2]) In his verbis eandem puto inesse sententiam, quam in nostris: 'mit Versprechungen schnell bei der Hand sein'.

[3]) In quibus verbis temporis notionem inesse cognoscimus ex praecedentibus: 'consilium nasci sub diem debet', eadem in proverbium abisse ex interiectis 'quod aiunt'.

[4]) Similis est abundantia in locutione 'clam se subducere' Nep. Alcib. 4, 4, Ter. Eun. 4, 7, 25, maior etiam b. Afr. 36, 1 'sub manum submittere non intermittit'.

[5]) Cf. Caes. G. 1, 25, 5 'mons suberat', cuius tamen verbi loco sine ulla codicum auctoritate 'aberat' Prammer substituit, Meusel recepit in ed. sua Berol. 94.

[6]) Verbi passivi, quocum istius modi ablativus ut abl. causae plerumque copulatur, exemplum eodem capite Liviano continetur sequens non multo post: 'nunc benignitate deum omnia secunda, prospera, in dies laetiora ac meliora'; verbum intr. altero Planci loco legitur 8, 6 in sententia simillimi argumenti: 'nunc, cum d. b. ab omni re sumus paratiores', neque hoc praetereundum puto, quod gen. 'deum' ablativo causae, unde pendet, utroque Planci loco praemissus est, utroque Livii postpositus.

[7]) Cuius locutionis non alia est vis atque 'fidem liberare' Cic. F. 12, 7, 2, cf. Antib. sub v. 'solvere'. Hanc metaphoram sicut Taciti 'beneficia exsolv.' (Ann. 4, 18) a re argentaria petitam esse testimonio est Caelii locus facetiis adspersus 8, 12, 1 (cf. Burg p. 66) ubi homo avarus (sc. Appius) quae debet beneficia, ut solvat, sibi imperare non posse dicitur.

[8]) Etenim res in exspectatione esse dicitur, cf. F. 8, 14, 1 extr. Att. 8, 11 D 3, persona in spe F. 14, 3, 2 Att. 8, 11 B 1; in exspectatione, si exspectatur, cf. F. 2, 3, 2 'summa scito te in exsp. esse', nequaquam, si exspectat.

[9]) Observationes crit. in Cic. epp. ad fam. Lugd. Bat. 1860.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quae nomina licet plerumque sententiae gravitatem augeant, interdum, cum nomen verbi notionem repetere videatur, languidiorem efficiunt orationem: 7, 2 'occupare possessionem laudis', 21, 6 'in possessione victoriae permanere'.[1]) Item Planci verba 9, 1 *meritorum meorum fieri accessiones* circumlocutionis instar videntur collatis 9, 2 extr. *nihil ad meam dignitatem accedere volo.*[2])

Plancus igitur, etiamsi neque priscis verbis velut 'exputare' neque sua aetate minus usitatis abstinuit ut 'novissime, praecognitus, exhortatio', sermonis cotidiani locutiones, quippe qui epistulas conscriberet, tantum abest ut reformidaverit, ut multas in usum suum converterit; plerumque tamen, ne urbani sermonis fines transgrederetur, cavit et providit.

## ALTERA PARS.

# DE SYNTAXI.

Plancum in verbis flectendis compluries ex vetustiore aetate formas repetivisse vidimus, in vocabulis eligendis subinde descendisse ad sermonem cotidianum; eundem in verbis inter se componendis illius aetatis consuetudine interdum neglecta scienter plerumque nec non feliciter suum iter ingressum esse videbimus.

## A. De enuntiato simplici.

In singulis enuntiati partibus explicandis primo videtur inquirendum, quae ratio intercedat inter subiectum et praedicatum quaeque sint nomina praedicativa, deinde, quo modo nomen suspendatur ex verbo et referatur ad nomen, prout obiecti attributive est loco, postremo, quae sit vis nominis adverbialis, sive hoc in ablativo est positum sive adiunctum vinculo praepositionis.

### 1. De subiecto et praedicato.

Ut nomen subiecti loco positum premeret, uno Plancus loco 24, 2 *de militum commodis fuit tibi curae* praepositionem 'de' adhibuit ex aequalium usu, cf. progr. de synt. Planc. p. 16 adn. 25;[3]) pluribus locis: 9, 2 in. 23, 6 extr. totum conformavit enuntiatum relativum 'quod ad me attinet', quod simili sensu atque illam praepositionem usurpatum videmus 24, 5, cf. progr. p. 21 adn. 54.

Pluribus vocabulis pro subiecto positis quod duobus locis propioris vocabuli genere neglecto participium fut. ad prius relatum est: 24, 1 *amor tuus ac iudicium de me utrum mihi plus dignitatis in perpetuum an voluptatis cotidie sit allaturus* Plancus eius epistulae, quam a Cicerone acceperat, quintae (§ 1), quam iam respexit 11, 1, ratione habita, ut videtur, nomina decussatim disposuit sententiamque exeuntem cum ineunte coniunxit, eo, ni fallor, consilio, ut ex generis convenientia, qui nominum esset conexus, cognosci posset; idem 21, 5 *mortuo non modo honorem, sed misericordiam quoque defuturum* ad alterius loci simillimi 11, 3 *neque animum nec diligentiam mihi futuram* normam dirigere noluit, ne quis posterioris vocabuli 'misericordiam' pondus pluris aestimaret, quam aequum est, cf. progr. p. 3 sq.

Cum his duobus locis participium cum remotioris vocabuli genere conveniat, ad prioris numerum[4])

---

[1]) Cf. Cic. F. 10, 27, 1 'in possessionem dominatus restituere', M. Brut. 2, 3, 1 'provinciae possessione pulsi sumus'; dominatus autem et provincia in possessione esse rectius dici mihi videntur, quam laus et victoria, de quarum possessione Plancus dicit. Quam accuratam definitionem ex iure civili fluxisse demonstratur Ciceronis loco de or. 3, 110 'recuperare amissam poss. — usurpare'.

[2]) Contra *ad societatem periculorum — accedere* 8, 7 non idem valere quod 18, 3 *periculum adire* perspicimus coll. 11, 3 *do operam, ut etiam Lepidum ad huius rei societatem incitem,* qui tamen *socium gloriae* (sc. Plancum) *vitare dicitur* 21, 2.

[3]) Hac adn. ad tria illa, quae Nieländer de dativo factitivo conscripsit, programmata (Krotoschin 1874, Schneidem. 77 et 93) relegavi.

[4]) Hanc numeri inconcinnitatem cur Planco derogemus non est, cum ipsi Ciceroni F. 10, 5, 1 subiecto 'commemoratio' in numero singulari praemisso, postquam plurium rerum mentionem fecit illique vocabulo attribuit, acciderit, ut ad verbum finitum plurale 'attulerunt' falso perduceretur, cf. progr. p. 4 adn. 12 et Mend. ad l.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

singularem verbum finitum videtur relatum plurali propiore neglecto 24, 6 *quae mens eum aut quorum consilia — avocarit et — transtulerit.*[1])

## 2. De praedicativis.

Quae in Planci epistulis e communi usu adhibita sunt praedicativa, sive ad subiectum referenda sunt sive ad obiectum, omnia fere progr. p. 15 contuli; nunc, quae huius scriptoris propria sint vel admodum rara, perlustremus.

Duobus locis (11, 1 et 24, 1) ubi eadem res tractatur, similis invenitur locutio, sed, cum, quae 11, 1 legitur: *ut me — praestem — memorem atque gratum,* nullam praebeat offensionem, alteram locutionem 24, 1 *malo praesens observantia — memorem me tibi probare* vix ullo alio posse confirmari simili exemplo memoratur Antib. s. v. Equidem, quem progr. p. 15 adn. 5 ex Cic. ep. 7, 32, 2 attuli locum, etiamnunc recte puto conferri.[2]) In hac autem epistula a. 704 a. u. c. ex provincia missa Cicero 'trahantur per me', inquit, 'pedibus omnes rei', deinde sic pergit 'sit vel Selius tam eloquens, ut possit probare se liberum: non laboro'. Cuius locutionis forma quin Plancinae simillima sit, vix puto quemquam dubitare; nam ap. Cic., qui deest et abl. rei et dativus personae, uterque facillime potest suppleri: 'eloquentia sua omnibus'; verbum certe, quod maxime refert, duplicem habet accusativum. Quaeritur, num sententia utriusque loci conveniat. Habeat sane verbum probandi in Planci ep. cum praestandi notione id commune, ut ad rem ipsam pertineat, cum, qui scribit, quam grato animo sit, re quam verbis declarare malit; idem verbum plus valere dico altero, cum eius, qui memorem amico se probet, grata memoria oporteat ut ab altero agnoscatur, quod non opus est, si quis eandem virtutem praestare dicitur.[3]) Rursus, cum 'praestare', quandoquidem ad ipsam rem exsequendam pertinet, ad falsa et simulata non possit referri, probandi verbo, quia spectat ad hominum opinionem, ficta quoque res indicari potest, vera non exclusa. Itaque res simulata significatur Ciceronis loco, vera a Planco disertis verbis indicatur *neque ego lubenter tam vili munere defungor orationis et malo praesens — memorem me tibi probare,* neque tamen hoc discrimen in rerum condicione positum atque ex sententiarum conexu cognoscendum quidquam valere puto ad verbi notionem definiendam atque secernendam.

Repetita locutione *omnia integra servare*[4]) 17, 1 et 21, 6, tertio loco 24, 3 novam protulit auctor *omnia integra sustinere,* quod verbum qua vi praeditum sit, apparet 24, 8 *duriore condicione bellum sustinemus,* cf. b. Afr. 14, 2 'multitudinem aegre sustinebant'. Eiusdem propriam, ut videtur, constructionem 7, 1 *te defensorem paravi,* progr. p. 15 adn. 9 cum Caelii propria contuli 8, 4, 2 extr. 'se intenderant adversarios'.

Similiter 23, 4 *Laterensis nostri et fidem et animum singularem in re p.*[5]) *semper fatebor* post obiectum duobus nominibus conformatum adi. 'singularem' praedicativum malim quam attributivum intellegi, praesertim cum hoc adi. eadem ratione accipiendum sit 9, 2, accipi possit 21, 4 (cf. progr. p. 5 adn. 6), licet duplicis accusativi exempla a verbo 'fateri' suspensi perrara sint aliquantoque recentiora, cf. progr. p. 15 adn. 11. Quod verbum ideo quoque memorabile, quod, cum ad loquentem pertinere soleat, Planci loco de re aliena usurpatum est, cf. Andr. ad l.[6])

---

[1]) Quo loco ne, quod Gitlbauer p. 256 sq. (Verbesserungsvorschläge zu Ciceros epp. ad fam. lib. X, Wiener Studien 1879 p. 75—97, 246—268) voluit, pro plurali *quorum consilia* numerum singularem ponamus 'quod consilium', admonemur Ciceronis cum hoc Planci loco (cf. 24, 5) collata ep. ad Brutum 1, 10 (§ 4 'impiorum consilia') nec non 1, 18 (§ 4 'multi ad depravandum parati').

[2]) Hac de re fusius mihi disputandum esse putavi, quod, qui programmati Budissino a. 1894 additam commentationem meam recensuit (in novissimo vol. Arch. p. 149 in pag. seq. fere media) hac de re ita disserit: „Die Stelle 24, 1 'memorem me tibi probare' hätte besser beleuchtet w. sollen (Rh. p. 15 u. adn. 5). — Die Stelle Cic. F. 7, 32, 2 ist verschieden."

[3]) Verbi causa fratri defuncto C. Gracchus potest 'pietatem praestare', id quod Cicero dicit Brut. 126, cf. F. 3, 10, 3; at probandae virtutis occasione centurionem quendam usum esse aemulo praesente tradit Caesar 5, 44, sicut Plancus praesenti ut sibi liceat gratam fautori suo memoriam probare ep. 23 ex. 24 in. affirmat, cf. progr. p. 28 adn. 32 et Andr. ad l. p. 197 in tertia editione.

[4]) Cui verbo simplici Cicero compositum plerumque praetulit: 'conservare' F. 13: 7, 3 extr. 50, 2; 'reservare' 11, 21, 5 et 13, 4, 2.

[5]) Ablativum, quem omnes praebent codices, retineri posse arbitror, praesertim verbis ad praecedens adiectivum *singularem* potius quam ad nomina *et fidem et animum* relatis.

[6]) Similem tamen notionis transitum factum esse in composito 'profiteri', ad quod duplicem accusativum referre nemo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Alter, qui ad verbum 'uti' accedit ablativus quin sit praedicativus, nulla est controversia, cuius modi exempla apud Plancum inveniuntur 17, 3 et 21, 1; quae tamen 17, 2 *acerbissimo interitu consulum rem p. nudatam tali cive praetore in urbanis officiis indigere* huius generis verbo 'indigere' videtur tributa esse constructio, perrara est, quo loco ut alterum ablativum 'praetore' praedicativum potius quam appositivum iudicem, verbis adducor postea interiectis 'in urbanis officiis', quibus Planci frater praetor urbanus significatur, cui consulibus interemptis urbis negotia gerenda erant. Cur autem ablativum 'praetore' appositionis loco substantivo praecedenti 'cive' tribuamus, eo minus est, quod hoc iam definitum est adiectivo 'tali'.

Praedicativa habenda sunt participia perf. pass., quae ad verba 'habere' et 'tenere' accedunt, cf. progr. p. 15 sq. et 31, in quibus, quae praecipue memorabilis est, locutionem *expertum habere* 24, 3 iam supra memoravimus; neque minus participia fut. pass., velut 8, 7 *consilia — defendenda commendo,* quam locutionem minus usitatam repetivit Suetonius Cal. 25, cf. Schmalz Poll. p. 31.

Praedicativum mutabile cum immutabili Plancus coniunctum praebet 21, 7 *habeo te et amantissimum et summae auctoritatis.* Ut hic genetivus qualitatis, ita adverbium vicarium est nominis praedicativi 24, 5 *filii loco — supstitutum non proinde habere,* quae eadem ratio apparet locutione, quae ex familiari sermone deducta est, *cariorem habere* 23, 7 collata cum simili *carius aestimare* 4, 2 extr.[1])

Pro impersonali cum ablativo 'opus est'[2]) personalis quae vocatur constructio, in qua voc. 'opus' praedicativum agnoscendum esse puto, deprehenditur 8, 3 *aliquantum temporis et magni labores*[3]) *et multae impensae opus fuerunt,* quo loco cur offendamus eo minus est, quod ne negata quidem sententia eius modi exempla apud Ciceronem desunt: Verr. 3, 196, F. 7, 31, 2.

### 3. De nomine obiecto.

Cum accusativo obiectum[4]) indicetur verbi actioni ipsi obnoxium, dativus illius est obiecti, quo actio spectat. Cum vero nullius magis rem confici intersit, quam eius, qui facit, non mirum, quod personae dativus non procul abest a praepositionis 'a' potestate; cf. 17, 3 *studium mihi probavit,* 24, 3 *consilium vobis probari,* 8, 2 *vitam cognitam hominibus.*

Adiectivi potestate suscepta participium facilius recipit dativum. Quo in numero part. aversus, quod (ut 'alienatus': 15, 3, ab re p.) bis praepositionem asciscit: 24, 2 *ab omni — sollicitatione,* § 4 *ab hac cogitatione,* adiectivi instar cum dativo personae, quod admodum rarum est (cf. progr. p. 13 adn. 30), coniunctum videmus 24, 6 *in adversissimam illis Hispaniam.*[5]) Deinde, quod illi oppositum est part. 'coniunctus', ibid. (18, 2) praepositionem habet 'cum re p.', dativum 'rei p.' 24, 2 in gradu comparativo, in superlativo 8, 6.

Plancus praepositionem, quae inest in verbo composito, post verbum desperandi subinde repetivit 21, 3 *desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide,* quod suo iure eum fecisse iudicabimus aequalium usu examinato. Pronomine enim reflexivo posito ut obiecti dativum et Caesar exhibeat (G. 7, 50, 4 'sibi', 3, 12, 4 'suis fortunis') et Cicero pluribus locis, cf. Antib. s. v., tamen hac quoque condicione praepositio illi placuit C. 2, 41, 8 'de sua salute'; sin obiectum ad subi. non refertur, quod Planci loco de Lepidi fide factum esse vidimus, praepositio usitatissima est neque ullus est locus dativo.

---

dubitat, optimorum auctorum et Vitruvii exemplis collatis demonstrasse mihi videor progr. p. 15 adn. 10, et verbum simplex postea generalem dicendi notionem accepisse Du Cange notat in Glossario mediae et infimae Latinitatis.

[1]) Haec locutio admonet de Propertii simili (2, 23, 11) 'quam care — venditur', deinde M. Bruti (quae ep. vulgo subditicia fertur) 1, 16 § 6 'valde care aestimas tot annos'.

[2]) Hunc loquendi modum vetustioris 'usus est' locum occupasse docet Fr. Schöll (Arch. II p. 207 sqq.).

[3]) Genetivi *laboris* ab omnibus codicibus traditi, quamquam complura sunt Livii aliorumque exempla, cf. progr. p. 22 adn. 63, quia plurale sequitur verbum finitum *fuerunt,* nulla potest esse ratio.

[4]) Hoc obiectum solo activo verbi genere contineri, alterum in dativo positum etiam ad passivum genus pertinere, vix est cur memoremus.

[5]) Non secus atque *offensus* 23, 1 extr. 18, 2 extr., cf. Caes. ad Att. 10, 8 B 'omnia — adversissima illis accidisse vid'.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Plancus igitur, si quidem concinnitatem servare volebat, praepositionem,[1]) quam gravissime repetivit, eandem rectissime adhibuit.[2])

Praeterea ex verbis compositis accedere (8, 7 *ad societatem*) et inrepere (23, 1 *in mentem*) progr. p. 11 ideo digna putavi, quae memorarem, quod praepositione, quam Plancus retinuit, omissa apud recentiores eadem verba obiecti dativum vel etiam accusativum asciverunt, ita ut apud Tacitum[3]) in isdem fere locutionibus transitiva existerent, cf. progr. l. c. adn. 2.

## 4. De nomine attributo.

Si numerali 'milia' substantivum antecedit, nominis genetivo non opus esse, sed 'milia' appositionis loco ad nomen accedere inter omnes fere constat;[4]) at perrara[5]) ea est constructio, qua numerali praemisso nomen eodem casu additur, cuius structurae Plancus praebet exemplum ep. 17, 1, ubi primus Mendelssohn accusativum passus ex Mediceo recepit: *viginti millia passus;* altera, quae vulgo recepta est structura, apud eundem scriptorem isdem fere verbis legitur 23, 2 extr. *viginti millia passuum.*

Interdum non liquet, utrum substantivum an adiectivum id nomen habeamus, quod vocabulo adiectum est. Namque, ut in verbis, quae Caesar scripsit C. 3, 94, 7 'summae rei diffidens' editores (cf. Kraner ad l.) dubitaverunt, utrum 'rei' genetivus an dativus intellegendus esset, ita ap. Plancum, cum modo adiectivum legamus *summam rem p.* ep. 24, 4 (cf. 11, 13a, 5) modo subst. postpositum *rei p. summa* 21, 1, verba eiusdem 8, 5 *curam rei p. summae,* sicut Lepidi 10, 35, 2 'ut summae rei p. consulatis', aliquid sane ambiguitatis habent. Equidem, cum Cicero admodum constanter adiectivum 'summus' substantivo suo praemiserit (cf. progr. p. 6 adn. 9) et Plancus, quae indubitata sunt exempla, cum eo conveniat, voc. 'summae' in Planci ep. pro collocatione[6]) nomen substantivum iudicaverim, in Lepidi adiectivum.[7])

In participiis appositis quod memorabile est Planci 4, 3 *facultas tui praesentis* admonet de simili Ciceronis locutione 1, 9, 22 'potestas praesentis tui'; ad duo nomina, quorum altero persona, altero res indicatur, participium relatum est 11, 2 *de proelio facto Brutoque et Mutina obsidione liberatis.*[8])

Deinde, cum Cicero Phil. 1, 28 'nec erit iustior — in senatum non veniendi morbi causa quam mortis' rei et efficiendae et pro causa allatae ad unum nomen rettulerit, Plancus 4, 1 extr., cum item genetivis, quid sibi causae sit Ciceronis tuendi, explicet, praepositionem **in** praetulit cum ablativo gerundivi coniunctam *in quo tuendo habeo causas vel paternae necessitudinis vel meae a pueritia opservantiae vel tui erga me mutui amoris,*[9]) cuius structurae simillima redit proxima paragr. ineunte *in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem* i. e. quem sancta, qualis patri debetur, pietate colendum mihi constituerim.

[1]) Livius praepositionem etiam in passivo genere retinuit 26, 18, 6 'desperatum esse de rep.' Contraria est Ciceronis locutio 'res p. desperata' Caecil. § 70, cui quae in genere activo respondet, invenitur in Lentuli ep. 12, 14, 3 'desperare rem p.', cf. progr. p. 11 adn. 3 sp.

[2]) Immo solam scriptori praepositionem relictam esse statuendum videtur, cum accusativo, qui unus restat, nullus sit locus, si quis de se ipse desperare dicitur. Sed etiamsi de tertia, quae vocatur, persona agitur, haec tria in Antibarbaro huius structurae exempla allata sunt: F. 12, 14, 3 'Rhodii nos et rem p. quam valde desperaverint, — cognosces', quae tamen ep. Lentulo, non Ciceroni, adscribenda erat; Sen. ep. 29, 3 'ab his, quos desperavit, recedat', ubi tamen seq. paragr. addenda erat, quae ita incipit: 'Marcellinum nostrum ego nondum despero'; quod tertium affertur exemplum ad Q. fr. 1, 3, 7, sine dubio ex hoc numero eiciendus est, cum hoc loco non iam 'desperamur' legatur, sed 'desperamus'.

[3]) Idem Tacitus verbum elabi, quod Plancus cum dativo personae praeter consuetudinem coniunxit 23, 5 in. (cf. Andr. ad l.) solus videtur transitivum fecisse, qui dativum 'custodiae' addidit Ann. 5, 10, eiusdem vocabuli accusativum ex illo verbo suspendit Hist. 3, 59, aliorum nominum Ann. 1, 61 (cf. Nipp. ad l.) 4, 64.

[4]) Cf. Caes. C. 2, 18, 4, Kraner-Hofm. ad l., Antib. s. v.

[5]) In Antibarbaro unum exemplum allatum est Liv. 37, 40, 9, quo loco, quanta hac in re scriptores Latini varietate usi sint, luculenter illustratur, praeterea cf. progr. p. 5 adn. 5, Richter (Progr. Oldenburg 1880) p. 41 sq.

[6]) Inverso nominum regentium ordine alter, qui accedit, genetivus item medius interiectus est 15, 3 *exercitus Lepidi eam partem.*

[7]) Cf. E. Albrecht (de adi. attributi in l. lat. collocatione, diss. Marb. 1890) p. 65.

[8]) Cui quod accurate respondeat exemplum, apud Ciceronem, qui participium ad proximum quodque nomen referre soleat, nullum repperi, cf. progr. p. 6 adn. 14, Anz. p. 5 (Progr. Quedlinb. 84: Ciceros Sprachgebr. in der Bez. des gemeins. Präd. bei mehreren Subst.).

[9]) Huius loci ratione habita Cicero decima ep. exeunte easdem res inverso ordine et brevius significavit vocabulis pronomini relativo appositis 'causas, quibus inter nos amore sumus, officiis, vetustate coniuncti'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Praepositione 'in' adhibita cum melius genetivo actio praesens aut instans significetur, **ad** rem potius futuram designat. Quam praepositionem etiamsi suo iure Plancus adhibuit 8, 2 *ad proficiendum impedimenta — occasiones ad opitulandum*, cf. progr. p. 24 infra, uno loco eundem arbitror stili epistularis licentia usum ad sermonem plebeium accessisse 23, 3 *ut spatium ad colligendum se homines haberent.*[1]) Quod gerundium, quamvis simile sit, non par est ducendum gerundivo, quod Cicero de uno homine adhibuit Caecin. 6 'spatium ad sese colligendum dedisse', confirmatur tamen Varronis, quod accuratius respondeat, uno exemplo L. L. 9, 42 'ad discernendum vocis figuras'.[2])

Nonnullis locis praepositionem puto ad nullum strictim vocabulum referendum esse. Atque ut 21, 6 *nec depugnare — nec obsideri — nec mori — pro vobis paratior fuit quisquam*, quin verba 'pro vobis' ad tres infinitivos praecedentes aeque referenda sint, nulla potest esse dubitatio, ita 11, 3 *nec animo nec benevolentiae nec patientiae cuiusquam pro vobis cedam* ne eadem verba 'pro vobis' cum solo tertio nomine 'patientiae' coniungamus,[3]) praeclara sententiae concinnitate impedimur, cf. progr. p. 10 adn. 54.

Similiter 23, 4 *Laterensis nostri et fidem et animum singularem in re p. semper fatebor* codicum ablativus[4]) ex praepositione suspensus 'in re p.', etiamsi cum substantivis, quae antecedunt, coniungendus esset, tamen ab editorum arbitrio, quibus accusativus placebat, defenderetur simillimo 12, 14, 2 'malus animus eorum in nostra salute',[5]) praeterea his, qui inter se respondent: F. 1, 8, 2 'sensus in re p.' (cf. 12, 15, 2 et Köhler progr. p. 23) et 1, 9, 10 'sentire in rep.'; sed verba 'singularem in re p.' praedicativa esse intellegenda, quibus indicetur, qua in re Laterensis legati et fides et animus fuerit singularis, supra monui atque ipsa collocatione auctor videtur significasse.

Item tertio loco 11, 2 *animadverti nullum alium receptum Antonium habere nisi in his partibus* ablativi difficultatem pro accusativo[6]) ad 'receptum' relato, si praepositionem liberius positam esse putamus, expediri arbitror.[7])

Porro 17, 3 med. *L. Gellius, quo ego interprete — ad Lepidum sum usus* praepositionem una cum nomine 'ad Lepidum', cum verbum 'uti' vicarium esse videatur mittendi,[8]) quod eadem paragr. ineunte invenitur, ad verbum finitum non minus quam ad nomen interpretis referendam esse opinor.

Praepositionem **ab** denique in media trium eiusdem modi locutione admodum libere positam esse 8, 2 *nam quis in ea fortuna, quae mea est, et ab ea vita, quam in me cognitam hominibus arbitror, et cum ea spe, quam in manibus habeo, aut sord. quicq. pati aut pernic. concupiscere potest?* non negabimus collata simili Sallustii sententia (in oratione obl.) Catil. 31, 7 'ita se ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet', ubi eadem praep. artius cum infinitivo coniungenda est, Caelii 8, 14, 1 '— ream — superiore a vita invidiosum', ubi pendet ex adiectivo.

## 5. De nomine adverbiali.

In ablativis, qui adverbii vicem obtinent, prae ceteris[9]) memorabilis videtur *quo nomine* 8, 5; nam abl. 'nomine' saepius pronomen poss. recipit, nonnunquam pron. demonstr., relativum perraro.

---

[1]) Quem locum ita scriptum et praepositione praeditum unus codex praebet H, 'et coll. se' MD (cf. Mend. ad l.).

[2]) Cf. E. Krause, de gerundii — usu, diss. Hal. 75 p. 41, progr. p. 25, ubi plura hac de re attuli.

[3]) Quod factum erat apud Hofm.-Andr. II² p. 176 in adnotatione: 'Dieser präpositionelle Ausdruck wird richtiger mit dem vorausgehenden Subst. patientiae, als mit dem Verbum verbunden'; in tertia vero editione recte ita adnotatum est: 'Der Ausdruck bestimmt den ganzen Gedanken.'

[4]) Qua in re codicibus non ita magnam fidem esse non ignoro, cf. progr. p. 5 adn. 8, Mend. ad p. 263 l. 3, 244, 15.

[5]) Quo loco Orellius (in ed., quae emissa est Turici 1829) adnotavit 'in re, ubi agitur nostra salus'.

[6]) Quem casum reponendum esse Wesenberg censuit Emend. alt. p. 34.

[7]) Cf. progr. p. 10 adn. 53 sqq. Neque tamen, quod illic subnotavi, verbum ponendi compos. quod sequitur in verbis ‚duasque ei spes esse propositas', ad insolitam Planci structuram quidquam valuisse etiamnunc arbitror.

[8]) Neque vero praetermiserim, quin adnotem praepositionis 'ad' ex hoc verbo suspensae prorsus aliam esse sententiam, quod perspici potest coll. Cic. Verr. 3, 84.

[9]) In quibus omittere nolim ablativos 'verbo — scriptura' inter nomina interiectos 8, 5 *plura etiam verbo quam scriptura mandata dedimus* quos recte puto verti 'mündlich — schriftlich'. Cum verbo ablativus adverbialis coniunctus est 8, 3 *exitu praestare* (= 'wirklich'), cf. Cic. ad Brut. 1, 10, 4 extr. 'exitu liberare'; idem voc. altero auctum est in Planci ep. 11, 1 *exitu rebusque cognoscere.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hanc locutionem singularem, cum respondeat Servii 4, 5, 5 'hoc nomine',[1]) Sall. Cat. 35, 4, a Cicerone varietur 14, 3, 4 'ea re' et 'eo nomine', pro trita 'qua re' positam esse censeo.[2])

Sed quod iam in nomine attributo factum vidimus, ut praepositionibus opus esset, cum pauci qui essent appositionis casus, ad varias nominum mutuas rationes accuratius definiendas non viderentur suppeditare: idem nomini adverbiali accidit, ut ablativo, qui adverbio substitui posset, saepenumero praepositio succurreret vel succederet,[3]) cum ceteroqui tum in his Planci epistulis.

Imprimis adiectiva, quibus ablativus limitationis tribui solet, praepositionem **ab** asciscunt. Ita Plancus, qui 8, 6 med. e communi usu scripsit *animo paratus*, eadem paragr. ineunte praebet *ab omni re paratiores.*[4]) Similiter Caelius variavit praepositione bis adhibita 8, 10, 1 'paratus — paratior — ab exercitu', solo ablativo posito 8, 14, 4 extr. 'et animo et copiis paratus'; ipse Cicero de eadem re disserens sibi non constitit, praepositione modo omissa: F. 15, 4, 6 'adolescens et equitatu et peditatu et pecunia paratus', modo repetita, ut ad Att. 7, 15, 3 'flagitiose imparati cum a militibus tum a pecunia'.[5])

Adiectivi 'paratus' usum alterum adi. propinquae notionis sequitur 15, 2 *Antonius ab equitatu firmus,* quod adi. cum tribus respectus ablativis coniunctum est 9, 3 *copias numero et genere et fidelitate firmissimas.*

Ablativo modi praemisso Plancus 8, 6 *provinciam — summa contentione ad officia certantem* habuit quod praepositionem **ad** a verbo suspenderet, cum Cicero in hac locutione eiusdem nominis ablativum praeferret[6]) F. 7, 31, 1 'officiis certemus',[7]) inter quos sententias idem variatae structurae discrimen interesse videmus, quod intercedit inter Liv. 1, 35, 5 'obsequio certare' et Tac. Hist. 2, 97 'certaturi ad obsequium'.

Eiusdem praepositionis vim non procul esse ab ablativo limitationis Planci testimonii probatur 21, 7 extr. *in Hirtii locum me subdas, et ad tuum amorem et ad meam observantiam.*

Quae praep. quam facile commutari possit cum 'pro' et 'ex', admonemur altero Planci loco 9, 3 *ad tempus consilium capiam* collato cum simillimis Caesaris G. 5, 8, 1 'pro tempore et pro re' (C. 3, 51, 8) Ciceronis ad Att. 9, 2a § 3 'ex re et ex tempore' (F. 12, 19, 3, de off. 2, 9, 33).[8])

Vis praepositionis **ex** 4, 1 *ex sermone alicuius litteras scribere* revocandae ad Ciceronis similia: F. 3, 4 extr., 12, 4 extr. 'scribo ex sermone, opinione alicuius',[9]) non prorsus eadem videtur atque 21, 7 *ex labore in febriculam incidit,* comparanda cum Cic. Inv. 2, 14 'ex lassitudine artius dormire'.[10])

---

[1]) Quam locutionem Manutius explicat 'hanc ob causam'.

[2]) Quanta vero inter hos (Ciceronis Plancique) locos compositionis similitudo intercedat, quo magis perspici possit, ipsas sententias, quanta ex parte opus est, hic liceat proponere: F. 10, 8, 5 'quo nomine — plura etiam verbo quam scriptura mandata dedimus, ut et tectius ad vos perferrentur et nos essemus tutiores, quibusque rebus — conveniret praecepimus'; 14, 3, 4 'ea re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuo — posses scribere — et ad fratrem misi, ut — mitteret; nam ego eo nomine sum Dyrrhachii hoc tempore, ut quam celerrime — audiam, et sum tuto'.

[3]) Cf. e. gr. Cic. de fin. 4, 55 'summe beatus', F. 6, 7, 2 (in Caecinae ep.) 'omnibus rebus felix', Cic. Brut. 63 'ab omni laude felicior'.

[4]) Non alia est ratio inter hanc Planci et Ciceronis locutionem (Att. 5, 20, 5) 'homines omnibus rebus ad defend. parati' atque inter eas, quae Deecke (Erläuterungen zur lat. Schulgr. Berl. Calv. 93) § 315 proponit: 'omnibus numeris absolutus' et 'ab omni parte perfectus'.

[5]) Uterque scriptor, sive adhibuit praepositionem sive repudiavit, singulis tamen locis concinnitatem servavit, quae minus conspicua est D. Brut. 11, 13, 5 'quam paratissimi et ab exercitu reliquisque rebus'.

[6]) Verbo 'metiri', quod Cicero ubique fere cum solo abl. coniunxit (cf. progr. p. 21 adn. 55, cur Plancus praepositionem 'ex' addiderit, facilius intellegi puto coll. Cic. ep. 3, 4 'haurire ex', quae epistulae recentis metaphora Planci animo etiamtum videtur obversata esse.

[7]) Cf. Ciceronis, quae inter se respondent, has sententias: F. 10, 1, 1 'vitae satisfeci vel aetate vel gloria' in ep. scripta paulo postquam habita est prima or. Philippica, in qua legimus § 38 extr. 'mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem vel ad gloriam'.

[8]) Similis praepositionum 'pro' et 'ex' vicissitudo in Ciceronis epistulis deprehenditur: 15, 7, 1 'pro tua dignitate' eodemque fere sensu 15, 12, 1 'ex tua dignitate', cf. Hofm. ad l. I p. 130.

[9]) Cf. Balbi ep. ad Att. 9, 7 B 3 'ab singulari amore ac benevol. — scribere'.

[10]) Quae praep. si est verbi intransitivi, vel magis praepositione 'a' causam indicat, cf. Poll. F. 10, 33, 4 'Pansam ex vulneribus mortuum', Prop. 2, 27, 11 'solus amans novit, quando periturus et a qua morte'. Sin praep. verbi est transitivi, quae huius cum praepositione 'pro' est affinitas, normam quandam faciendi significat, cf. adn. priorem, Cic. Rosc. Am. 26 'ex sua natura ceteros fingere', Antib. s. v., progr. p. 20 adn. 38.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Qua praepositione non minus **in** ad causam posse pertinere ab ipso Planco docemur, qui 24 § 5 ineunte verba *in familiaritate Caesaris*[1]) eandem fere causae notionem habere voluit atque paragr. exeunte *ex tam insigni amicitia — Caesaris.*

Neque vero in causali huius praepositionis sententia Plancus constitit; vi oppositionis factum est, ut ad concessivam progrederetur: 9, 2 *in multitudine — singularis,* 8, 7 *in damno meae laudis rei p. commodo laetabor.*[2])

Haec concessiva ad condicionalem[3]) denique sententiam quam proxime accessit in Planci ep. 7, 1 *te in culpa defensorem mihi paravi.*[4])

Ita fieri potuit, ut, quod Pollio ablativo absoluto expressit 32, 5 'quarum rerum fructum satis magnum re p. salva tulisse me putabo', Plancus in sententia simillima 8, 7 *mihi — ipsi fructus meritorum meorum in rei p. incolumitate satis magnus est paratus* hac praepositione significaret.

Transgressus fere solutae orationis fines poetarum sermoni appropinquasse reperitur Plancus 24, 1 *omnis gratas amicitias — in tua observantia — vincam* coll. Prop. 1, 9, 5 'non me — vincant in amore' et simillima Ciceronis sententia F. 7, 19, 1 'non enim te amore vinco', cf. 3, 10, 1.[5])

Sed etiamsi in his epistulis interdum praepositionum liberior est usus, nulla tamen usquam commutatio vel confusio animadvertitur et praepositionem per, quae alioqui (F. 5, 1, 1 'fratrem meum per te oppugnatum iri') eodem fere sensu quo 'ab' adhibita est,[6]) Plancum, nisi concinnitati studuisset, vix puto repetiturum fuisse 21, 4 *improbi per se, corrupti etiam per eos* q. s.

Immo eleganter Plancus ablativum instrumenti ab usu praepositionis distinxit 15, 1 *assiduis internuntiis cum Lepido egi,* § 2 *per Laterensem internuntium fidem mihi dedit.* Nam priore loco, cum non interesset, quo interprete uteretur, sed qua ratione cum Lepido ageret, recte cunctos ablativo comprehendit; paulo post, cum certum internuntium nominaret, quem quanti faceret, pluribus locis professus est, praepositio sine dubio aptior ei videbatur.[7])

Quae cum ita sint, mihi videor demonstrasse Plancum, quem praedicativis structuris liberius usum esse vidimus, praepositionum et frequentia et varietate, sive artius eas cum verbo aut nomine coniungeret sive ad nullam enuntiati partem strictim referret, admodum delectatum esse, ita tamen, ut in eis adhibendis et post verba composita repetendis a Ciceronis et optimorum subtilitate atque elegantia vix paulum recederet.

## B. De enuntiato composito.

Cum enuntiatum compositum fiat copulatione sententiarum, primum quaerendum putaverim, num quo loco Plancus dissolutius artiusve, quam illius aetatis consuetudo ferebat, sententias composuerit,

---

[1]) Quae Andresen ad l. (II³ p. 204) explicat 'cum essem familiaris Caesari', cf. quod Draeger (histor. Syntax der lat. Spr. I² 1878, II² 81) I p. 651 attulit exemplum Liv. 3, 8, 7 'magis in re subita quam quod', deinde Cic. de nat. d. 3, 87 subtili notionis discrimine 'propter virtutem iure laudamur et in virtute recte gloriamur', Caesaris denique G. 1, 27, 4 'in tanta multitudine', Kraner ad l., 6, 7, 9 'in tanta propinquitate castrorum' cum 1, 16, 6 'tam propinquis hostibus'.

[2]) Quae verba ap. Hofm.-Andr. II³ p. 141 explicantur 'etsi damno m. laudis affectus ero'.

[3]) Quae duae notiones quam arte inter se contineantur, ex ea re cognosci potest, quod, quae coniunctio post sententiam concessivam poni solet, a Planco post condicionalem posita est 15, 2 'si vero — et si — tamen'. Idem effici potest his Ciceronis locutionibus inter se collatis: F. 3, 11, 3 'etiam in summa copia — nunc vero', ad Q. fr. 1, 1, 41 'quod si — nunc vero', § 43 'ac si — nunc vero'.

[4]) Quamobrem Frey (Ausgew. Briefe Ciceros, 2 A. Leipz. Tbn. 73) praepositionis vim ita explicat p. 211 'wenn ich gefehlt, wenn mir Vorwürfe gemacht werden', relegans ad sequentis ep. initium; idem v. d. p. 204 prorsus aliam vult esse sententiam Planci verborum 4, 1 ex. 'in quo tuendo'.

[5]) Iustior Ciceroni fuit causa praepositionis, sive pronomine adhibito, ut 3, 10, 8, cf. 7, 31, 1, sive gerundivo: F. 12, 7 extr. 'tu fac in augenda gloria te ipsum vincas'.

[6]) Quem in Metelli ep. abusum Ciceronem in ea, qua respondet, castigasse admonemur (Antib. s. v. II p. 250) praeter praepositionem mutatam isdem fere verbis repetitis 5, 2, 6 'Metellum fratrem tuum a me oppugnari'.

[7]) Simili ratione, etiamsi nonnullis verbis solus abl. instr. addi potuit: 24, 4 'litteris hortari', cf. 21, 7 'excusem litteris', in verbis petenti Plancus plane e Ciceronis usu ablativum litteris posuit attributo addito, omisso praepositionem per adhibuit: 18, 2 'binis continuis litteris rogare', 21, 2 'petere per litteras', cf. progr. p. 22 adn. 66, Pomp. ad Att. 8, 12 B 2 'superioribus l. petere'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deinde, quae habeat propria in copulationis vinculis, sive ad coniunctionem pertinent enuntiati secundarii, sive ad verbi suspensi modum et tempus.

### 1. De sententiarum cum dissolutione tum contractione.

Diuturna constat dicendi exercitatione opus fuisse, priusquam ex sententiis non copulatis artificiosi fierent circuitus.[1]) Itaque, quoties epistula ad collocutionis formam propius accedit, quod inter familiares saepius fit,[2]) prisca loquendi simplicitas et vigor comparet, atque uno Planci loco 23, 1 interrogationem reapse responsum sequitur *quid ergo est? pudor me — coegit.*[3]) Altero scriptor loco 21, 2 *indicabo meum consilium tibi* verbo finito[4]) praemisso, quam rem gravioris momenti pro re p. facturus fuerit, indicat; narrationem paucis versibus post claudit subiecto anteposito: *ego non malus homo hoc suspicabar.*

Coniunctione non sine causa Plancus enuntiatum privavit, qui cur 15, 2 *cunctatus non sum: Lepidum adiuandum putavi* coniunctionem 'quin' repudiaret (neque ita fere diceret 'non cunctandum putavi, quin L. adiuarem') habuit, quandoquidem orationem in breves sententias concisam volebat; in longiore circuitu 18, 2 med. adhibuit coniunctionem.[5])

Deinde, quo loco nimis credulam festinationem suam describit 21, 2 *credidi chirographis eius, adfirmationi praesentis Laterensis,* suo iure coniunctionem reiecit. Item dissoluta orationis membra voluit esse 15, 2 *fidem mihi dedit —, me — rogavit,* ubi sedulitatem suam fructum tulisse gavisus Lepidum ad rei p. defendendae societatem accessisse narrat.

Praeterea dissolutum, quod ep. 15 ex. nobis occurrit, enuntiatum relat. bipartitum *qui sequatur, Italiam a vastatione defendat* aliqua ex parte comparari potest cum Balbi quaestoris crudeliter dicto, quod a Pollione traditur (10, 32, 3) 'abi nunc, populi fidem implora', cf. Schmalz 1890 p. 55 sq., nam utroque loco eundi verbo praemisso, altero enuntiato, cur eundum videatur, adicitur.

Omnino coniunctiones non ex severa quadam consuetudine poni, sed ex ipsius scriptoris consilio, arbitrio, indole, vel inde perspici potest, quod cum inversum q. v. ab eodem Planco 24, 4 una cum adverbio 'interim' adhibitum est, cum Galba F. 10, 30, 3 pro brevitate sua solo adverbio contentus esset ('repente — interim') atque etiam Cicero coniunctione supersederet in familiari sermone ad Att. 2, 15, 3 'nondum plane ingemueram, »salve«, inquit Arrius'. Hanc brevitatem praecipue sermonis cotidiani fuisse Petronii huius modi comprobant sententiae: 'volueris, faciet' cap. 70, Horatii similes, quae in satiris leguntur, velut 1, 3, 49 'Parcius hic vivit: frugi dicatur' q. s.

Qua ratione cum sententiarum conexus remittatur, invicem circuitus contrahitur atque adstringitur infinitivo suspenso ex verbo, quod coniunctionem asciscere solet. Ita Plancum recusandi constructionem addita negatione ad dubitandi normam direxisse 8, 6 extr. *in me convertere non recusem,* 17, 2 *ad omnia pericula princeps esse non recusabat* apparet collato eiusdem enuntiato 21, 7 *istoc recurrere non dubitabit.*[6]) At Cicero, ubi illi verbo infinitivum tribuit: Phil. 8, 25 'privatus esse non recuso', Antonii verba recitavit; Caesar uno loco (G. 3, 22, 3) infinitivum adhibuit praemissa circumlocutione itaque verbo negato, cf. Antib. s. v.[7])

---

[1]) Cf. Schmalz Gr. § 208: Es ist eine — Thatsache, dass — erst mit der fortschreitenden Entwicklung der Sprache sich aus der Beiordnung die Unterordnung herausbildete. (Lat. Syntax und Stilistik p. 386—584 im Handb. der klass. Altertumswissensch. von Iwan von Müller II² Münch. 1890.)

[2]) Cf. Cic. ad Q. fr. 1, 1, 45 'cum ad te scribo, tecum loqui videor'.

[3]) Quam loquendi rationem ex sermone cotidiano deductam (cf. Schmalz, progr. Mannh. 81 p. 48) Cicero praeter primas orationes (cf. Landgr. ad Rosc. § 36) aliquoties in epistulis adhibuit (F. 9, 15, 5. Att. 2, 19, 5 sic ut D. Brutus 11, 1, 3, Caelius 8, 12, 2, Vatinius 5, 10, 2) variavitque similibus velut 'quid quaeris', quod saepius legitur, 'noli quaerere' F. 4, 4, 3, cf. 'mihi ausculta' Rosc. 104.

[4]) Idem v. f. alio iam enuntiato coniunctionibusque quibusdam praemissis Cicero adhibuit ad Q. fr. 3, 5, 4 'sed tamen indicabo tibi', similem locutionem 'narro tibi' F. 11, 24, 1, saepius in epp. ad Att., velut 2, 11, 1, cf. Wölffl. Philol. 1876 p. 140.

[5]) Similis ratio intercedit inter Caes. G. 3, 18, 5 et 3, 23, 7 'non cunctandum existimavit, quin pugna decertaret'.

[6]) Quod et Plancus et Cicero (F. 12, 29, 1 'nullum periculum adire dubitavit') verbo expressit, Pollio adverbio compensavit 10, 31, 2 ex. 'plane pericula non dubitanter adii'.

[7]) Infinitivi et coniunctionis 'quin' cum coniunctivo vicissitudinem esse efficitur his simillimis sententiis inter se collatis: Acc. 330 R. 'tamen haut fatiscar quin tuam inplorem fidem', Pacuv. 154 'numquam fatiscar facere quod quibo boni'; Ter. Phorm. 589 'neque defetiscar experirier, Cic. F. 12, 14, 7 'neque defatigabor permanere', cf. Zumpt, lat. Gr. § 541.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Altero Planci loco 18, 2 *cautius illud erat consilium exspectare me* coniunctionem 'ut' exspectaremus, si Heraei auctoritatem sequeremur, qui ad Tac. Hist. 3, 41 ex. hac coniunctione opus esse adnotavit aliquo attributo ad voc. 'consilium' adiecto, infinitivum vero praeferri nullo attributo accedente. Cui tamen regulae cum ne Cicero quidem ubique obtemperaverit, cf. ad Att. 7, 10 'consilium cepi, ut exirem', Plancum statuemus illam summam rationem spectavisse, e qua, si quid faciendum proponitur, coniunctione opus est, sin cogitandum, infinitivo.

## 2. De coniunctione Ut.

Omnium coniunctionum, quibus Plancus in his epistulis usus est, nulla pluribus ex partibus memorabilis est quam coniunctio 'ut', cuius omnes[1]) fere, quae gravissimae sunt notiones, apud hunc quoque scriptorem inveniuntur.

Quae particula quod 4, 4 in sententia comparativa *ut mereor* pendet ex adverbio *proinde*, Plancus usum Plautinum (velut Trin. 659) secutus esse dicitur;[2]) sed neque Plautus ubique sibi constitit, cf. Amph. 583 'proinde **ac** meritus est', et Cicero praeter copulativam particulam, velut Tusc. 5, 6 'proinde ac merita est', relativam quoque usurpavit, cf. Phil. 14, 19 'proinde **ut** quisque mereretur', item Caelius 8, 12, 4 ex. Plancus ipse, sicut Asinius scripsit F. 10, 31, 2 'proinde ac dignus est', copulativam praetulit coniunctionem 11, 2 *proinde — ac res me moneret*, nullam addidit particulam 24, 5 *filii loco substitutum non proinde habere*, ubi adv. demonstr. 'proinde' ad verba antecedentia spectat, ut 'proinde habere' significet 'pro filio habere'.

Et 'sic' et 'ita' saepius respondet adverbio ut comparativo et consecutivo, quod utrumque invenitur 11, 1 *nisi forte, ut tu gravissime disertissimeque scripsisti, ita sensurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo,*[3]) ubi enuntiato praemisso 'ut tu scripsisti' respondet id, quod sequitur: 'ita sensurus es', quae sentiendi ratio statim explicatur tertio enuntiato, quod incipit ab ut consecutivo*) vel, si mavis, explicativo, quod eodem numero duxerim, quo illud 'ut' habendum est, quod verbo impersonali 'accidit' post relativam sententiam additum est 18, 1 *accidit mihi, quod — accidere solet, ut consilium sequerer.*

Cum 11, 1 duabus particulis relativis una interiecta sit demonstrativa, 9, 2 *quod ad me attinet, mi Cicero — ita ab imminentibus malis res p. me adiuante liberetur! — sic honores praemiaque vestra suspicio — ut sine eis nihil — sim remissurus* coniunctiones ita sese excipiunt: 'ita — sic — ut'; etenim post iuris iurandi formulam in parenthesi positam[4]) non sequitur simplex ut iurativum, quod vocatur,[5]) sed 'sic' praemisso adversativum[6]) ut legitur, cf. Cic. F. 5, 21, 1 'quod ego ita lubenter accipio, ut tamen tibi non concedam'.

---

[1]) Cf. Dahl, die lat. Partikel 'ut', Kristiania 1882.

[2]) Cf. Reisig (Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft mit den Anm. von Fr. Haase, neubearb. von Schmalz u. Landgraf. Berl. Calv. 1884—88) 415 m.

[3]) Andresen ad l. adnotavit: 'ita bezieht sich auf das vorausgehende ut, nicht auf das folgende'. Hanc ego posteriorem coniunctionem ad particulam praemissam 'ita' non minus pertinere dico, quam demonstrativam 'ita' ad antecedentem 'ut'.

[4]) Quod idem fit in Balbi ep. ad Att. 9, 7B § 3 'quod te — ita incolumi Caesare moriar! — tanti facio, ut paucos aeque ac te caros habeam', cf. Cic. F. 5, 21, 1 'nam tecum esse, ita mihi omnia, quae opto, contingant, ut vehementer velim'.

[5]) Cf. ad exemplum Cic. ep. 10, 12, 1 'ita te victorem complectar — ut magnam partem mihi laetitiae tua dignitas adfert', de tota re v. Dahl p. 56.

[6]) Cuius tamen facultatis adversativae hanc particulam non solam compotem fuisse, sed etiam 'ita' participem, similis Vellei sententia testatur 2, 33, 3, qua auctor exponens, quam libenter Pompeius honores appetierit, tributos sua sponte abdicaverit, sic scribit: 'ut qui eos ut libentissime iniret, ita finiret aequo animo', ubi coniunctiones inverso quidem ordine sunt positae, eadem tamen ratione atque Planci loco vertendae 'zwar — aber'.

*) At *non recusem* 8, 6 coniunctivum potentialem agnoscere malim quam post verba *ipse ita sum animo paratus* vel etiam posteriore aliquo loco 'ut' inserere, cuius coniunctionis inserendae qui auctor apud Mend. in adn. nominatur, H. J. Müller, iniuria hoc loco nomen suum irrepsisse roganti mihi ipse liberaliter respondit ac Graevium nominandum putavit, cuius editionem Orellius ad l. inter Cratandrinam et Ernestianam adnotavit. Immo verba *ita sum an. par.* ad sequentia, a quibus maiore interpunctione segreganda videntur, eadem ratione referenda esse puto, qua prior sententia pertinet ad posteriorem Plaut. Men. prol. v. 40 sq. 'Ita illum dilexit, qui subreptust, alterum: illius nomen indit illi, qui domist', ubi, quanto opere filium surreptum pater dilexerit, apparet ex alterius versus sententia et ipsa primaria; quattuor autem infinitivi, qui ibid. ex coniunctivo *recusem* pendent, decussatim ita sunt dispositi, ut prius par supplementis praedicativis medium interiectum sit, alterum utrimque additum.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Verba faciendi, quae ad circumlocutionem quandam pertinent, multa Plancus adhibuit: 'facere,[1]) consequi, praestare', quae omnia in Planci epistulis, cum enuntiatum relativum vel pronomen antecedens obiecti loco habeant, praeterea sententiam finalem,[2]) quae vocatur, asciscunt, qua illud accuratius definitur: 17, 3 *Lepidus, quod ego desiderabam, fecit, ut mitteret,* 7, 2 *quod spero me consecuturum, ut sentiant,* 23, 6 *quod adhuc fecisti, idem praesta, ut — subornes.*

In negatione 'non' post ut finale posita 8, 4 multis verbis interiectis *ut — non esset periculosum,* praesertim cum ad unum adiectivum pertineat, non est, cur offendamus, sed Plancus etiam alteram finalis sententiae partem explicans vim negationis triplici repetitione auxit: 23, 3 *dedi operam deum benignitate, ut et celeriter me reciperem et hic discessus nihil fugae simile haberet: non miles ullus, non eques, non quicquam impedimentorum amitteretur.*[3])

Vix quisquam illius aetatis auctor saepius quam Plancus in finali sententia coniunctione supersedit, qui in sola epistula unetvicesima quinquies coniunctione omissa sententiam adiunctam posuit: § 1 ante verbum orandi, ut D. Brutus 11, 11, 2; § 6 tribus coniunctivis locutioni 'dabo operam' sine coniunctione praemissis,[4]) quae tamen posita est 11, 3 et 23, 3; ibid. in verbis *hortor te, traiciendum cures;* § 7 med. denique, ubi solus coniunctivus ex rogandi verbo sequenti *meam dignitatem commendatam habeas, rogo,* eadem paragr. exeunte, ubi ex praemisso pendet *rogo, in Hirtii locum me subdas.*[5])

Postremo nolim omittere Planci propriam formulam, quam exeunte ep. saepius usurpavit *fac valeas meque mutuo diligas:*[6]) 4, 4 7, 2 11, 3 15, 4 17, 3 21, 6; similis est clausula Ciceronis 15, 8 extr. ep. 'peto, me absentem diligas atque defendas', cum in Planci ep. 7, 2 coniunctio legatur: *a te peto, ut dignitati meae suffrageris,* cf. 21, 2 et 8, 7 extr.[7])

### 3. De temporibus et modis.

Non solum coniunctionibus, sed etiam modis et temporibus quibusdam sententiarum conexum indicari, ipsa nomina modi coniunctivi, temporis relati documento sunt. Nam cum re per se proposita modo qui vocatur indicativo utamur, coniunctivus ad actiones artius inter se coniungendas pertinet. Item tempora, si actiones pro tempore suo inter se referuntur, relata nominantur, sin tempora pro primaria sua notione per se ponuntur, ita ut actionis tempus ad loquentis solum referatur, absoluta.

Ita Plancus de isdem hominibus 11, 2 *receptum Antonium reliquiasque, quae cum eo essent, habere* in enuntiato relativo utitur coniunctivo temporis imperfecti relati ad perfectum praecedens *animadverti,* paulo post in sententia relativa *qui cum Antonio fuerunt* perfecto primariam tribut notionem et verbis

---

[1]) Negatione addita cum ceteros tum Plancum faciendi verbo substituisse committere (4, 3 et 24, 8) iam supra p. 6 adn. 9 memoravi, cf. Seyffert-Müller ad Lael. p. 19 sq.

[2]) Hac sententia reapse consilium significari, demonstratur huius modi exemplis: Cic. F. 1, 7, 10 'ne succederetur, perfectum est', 4, 4, 1; Caes. C. 3, 37, 3 'factum est, ne contenderetur', altero eiusdem scriptoris loco ideo insigni, quod in utroque enuntiato faciendi verbum invenitur: C. 1, 19, 4 'id ne fieri posset — fiebat'.

[3]) Quae negandi ratio quam prope ad sermonem vulgarem accedat, elegantissimi scriptoris usu demonstratur cum eis collato, qui urbanitatis aut nullam habent notitiam, aut, etiamsi habent, dissimulant. Et Cicero quidem illam adeo cavit, ut ne particulam 'nec' quidem post prohibitivam 'ne' poneret, cf. Schmalz Gr. 212 (in Iw. Müllers Handb. der klass. Altertumswiss. II²), C. F. W. Müller ad Cic. off. 1, 91. At Petronius cap. 74 scripsit 'suadeo, non patiaris', Vitruvium ne nosse quidem particulam 'neve' Schmalz l. l. monet.

[4]) Similiter Pompeius scripsit (Cic. ad Att. 8, 6, 2) 'dabis operam, quam primum ad nos venias', neque Pompei locum a Planci ideo puto longe abesse, quod ille scriptor verbum regens enuntiato secundario praemisit, hic postposuit, neque 'ut' Planci loco inserendum puto, quod Andresen ad l. suadet, cum ipse Plancus in seq. paragr. (§ 7) verbo rogandi tum praemisso tum postposito hanc variationem sui arbitrii esse doceat. Schmalz (Gr. 209 ex.) Planci et Pompei epistulis ad exemplum allatis de omnibus dicit: 'Diese Briefe sind als echte Dokumente der Umgangssprache überhaupt sehr reich an einfachen Parataxen.'

[5]) Cf. praeter exempla, quae Schirmer progr. p. 16 attulit, Planci simile 24, 8 *me diligas rogo,* Caelii 8, 11 extr. 'sic agas rogo', Cic. 16, 4, 2 'illud te rogo, sumptu ne parcas', 5, 18, 1 'rogo atque oro, te colligas' nec non F. 13, 1, 3 'cum, idem ad te scriberem, rogasset'.

[6]) Qua valedicendi formula hunc scriptorem mirum quantum delectatum esse nullo exemplo ex alia ep. ad Plancina allato Babl. p. 32 affirmat. (Progr. des alten Gymn. Bamb. 93. De epistularum lat. formulis.)

[7]) A Plinio in eius modi sententia coniunctionem saepius omitti quam poni ostendit Kraut p. 34 (Progr. Schönthal 1872).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

'qui fuerunt' eos significat, qui non iam sunt,[1]) cum maxima ex parte Antonii clade perierint vel ab armis discesserint, cf. Phil. 8, 33, quam rem sibi probabiliorem videri Plancus ipse ibid. paulo post *si nudus se A. confert* praesenti verbi tempore pro futuro posito indicare videtur, cf. Andr. ad l.

Diligenter hunc scriptorem absoluta tempora et relata distinxisse eo verisimilius est, quod varios actionis praeteritae status suo quemque loco accurate significavit: instantis 23, 6 *futurum fuit,* inceptae 17, 2 *posse ingredi coepit,* cf. 15, 4, imperfectae 21, 3 *ego suspicabar,* perfectae 8, 1 *tenuisse suspensam;* neque imperfectum ex usu epistulari pro praesenti adhibuit, nisi temporis, quo epistula missa est, rationem habuit, quod fecit dilucide 23, 3 *quem triduo, cum has dabam litteras, exspectabam,* cf. progr. p. 32.

Neque in tempore futuro 11, 1 *cum memoria tenebo* praeeunte futuro *sensurus es,* neque in modo indicativo, quamquam sententia est orationis obliquae,[2]) plus est offensionis quam in ep. D. Bruti 11, 10, 4 extr. 'cum explicabuntur'. Immo tempus futurum pro praesenti requiri potest in enuntiato relativo[3]) ep. 17 ex. *omnibus ero, qui bene merentur,* ibid. in condicionali *si mereor,* 11, 1 extr. *si cognoscis, defende* coll. 9, 2 extr. *nisi fuerit, nihil — volo,* sicut positum est post coniunctionem 11, 3 *polliceor, si modo volet,* cf. Poll. 32, 5 extr. 'si voles legere — poscito'. Item in enuntiato primario 11 ex. *quod si nihil profecero, nihilo minus maximo sum animo* consulto Plancum tempus futurum reiecisse Andresen ad l. adnotat, cf. 9, 2 extr.

Futuri exacti[4]) formam usitatissimam videro, cuius notionem ad simplicis propius accedere commemoravi progr. p. 32 adn. 22, in enuntiato primario Plancus adhibuit 21, 7 *tu videris,*[5]) sicut Caelius 8, 13, 2 'vos videritis', Cicero in sententia adversativa variata persona, non numero: Att. 7, 3, 10 'sed de re videro', 13, 23, 2 'sed tu videris', 6, 4, 1 'sed haec fortuna viderit'.

Praecipue in condicionali sententia praesens tempus constat futuro substitui, quod Plancus fecit 11, 2 *si hoc se A. confert,* cf. progr. p. 30 adn. 2. Idem fit infinitivo, ut vel in una ep. 24 inf. praes. 'venire' bis referatur ad hominem, qui venturus est: § 4 *neque intermisit adfirmare se sine mora venire,* § 6 *professus est se venire,* quam dicendi neglegentiam sermonis cotidiani duceremus, nisi priore loco, quae addita sunt, 'sine mora' futuram actionem prope praesentem redderent, altero verba ipsa Caesaris indicanda viderentur 'venio' dicentis,[6]) cf. progr. p. 27 adn. 20.

Post triplicis protasis futurum exactum 21, 6 Plancus pro futuro, quod exspectari potest, in apodosi *nec — pro vobis paratior fuit quisquam* perfectum cum suo iure posuit, quod se cum aliis, qui in simili aliquando condicione fuerunt, comparat, tum non invitus, ni fallor, adhibuit, ne necessitate demum aut aliorum voluntate (cf. 6, 3) imperante ad rem p. defendendam paratus fore videretur, sed per se iam pridem fuisse.[7])

---

[1]) Quare cum 8, 3 extr. ***qui praefuerunt*** similis temporis sententia ('praefuerunt' = non iam praesunt) cum re indicanda non conveniat, pro perfecto praesens ***praesunt,*** quod Wesenberg proposuit, cf. Em. alt. ad l., etiamsi Mendelssohn improbavit, tamen scribendum existimo, sicut eiusdem verbi praesens Plancus posuit 21, 4, cf. 11, 2 ***decima legio veterana, quae nostra opera revocata cum reliquis est,*** Andr. ad l. Idem ille v. d. 21, 4 ***accessit*** (= praeterea accidit) ***eo, ut — conclamarint*** huic coniunctivo vulgo recepto temporis relati eundem modum 'conclamarent' recte videtur praetulisse.

[2]) Cf. Andr. ad l. — Futurum exactum in sententia rel., quae obliquae est orationis, a Planco usurpatum 4, 3 ***hoc unum tibi persuade, quantum — potuero, hoc — futurum*** ad Ciceronis exemplum simillimum potest revocari F. 2, 6, 5 'unum hoc sic habeto: si — impetraro, me — debiturum', cf. ad Att. 7, 3, 11.

[3]) Eiusdem modi praesens 11, 1 extr. ***quod reliquum est, tuum munus tuere*** est formulae cuiusdam, qua res instituta ad finem perducitur, cf. Cic. F. 14, 4, 5 'quod reliquum est, sustenta te — honestissime'.

[4]) Huius temporis primam personam scriptores, ut certa loquentis de re exsequenda promissio pronuntiaretur, imperativo libenter adiunxerunt: Plaut. Capt. 293 'sequere — ego exquaesivero', Caes. 4, 25, 3 'desilite q. s. ego — praestitero', Cic. A. 5, 1, 3 'tu invita — ego accivero', Cael. 8, 17, 2 'exspectate — vincere coegero'.

[5]) In enuntiato relativo idem est usus futuri exacti ***potuero*** 4, 3.

[6]) Andresen ad 24, 4 hunc usum, quem ad primae potissimum personae verbum finitum, cui in oratione obliqua inf. substituitur, pertinere dicit, exemplis confirmat: Caes. C. 3, 94, 6 'tuemini, inquit —: ego — confirmo', G. 6, 29, 5. — Quin unius verbi perfectum 'vici' in re futura evaluisse perspicimus collatis inter se his Ciceronis locis desumptis ex epistulis: ad Cassium F. 12, 6, 2 'qui si conservatus erit, vicimus' (cf. ad Att. 14, 20, 3) ad M. Brut. 1, 10, 4 'qui si steterit — satis videmur habituri praesidii'.

[7]) Deinde quid causae fuisse putemus, cur Plancus ep. 18 in. ***cognoscere potuisti*** perfectum praeferret, Cicero in sententia simillima 12, 6 in. futurum, progr. p. 32 adn. 26 exposui.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Memorabilis est Planci locus 24, 5 *quoad ego nosse potui,* ubi sententia, nisi omnia me fallunt, infinitivum praes. 'noscere' requirit, non inf. perf. 'nosse'.[1]) Quem infinitivum etiamsi poetis ut versui aptiorem concedimus, quem adhibeant pro praesentis infinitivo,[2]) idem non licet solutae orationis scriptori. Sed sive duarum locutionum ('quoad ego noscere potui' et 'q. e. nosse possum') contaminatio, sive temporis assimilatio[3]) (aut infinitivi ad verbum finitum aut verbi finiti ad praecedens sequensque 'fuit') hic statuenda videtur, plebeio equidem potius quam urbano sermoni hoc genus dicendi adsignandum putaverim.[4])

Modus coniunctivus, quippe qui aptior sit indicativo ad sententias inter se copulandas, plurimum valet in oratione obliqua. Quem cum Plancus posuerit 17, 2 *coegi, quod et — posset,* ad indicativum redit pergens *et quod — existimabam,* minus quidem ex usu communi,[5]) suo tamen iure, cum ratio obliqua indicata sit ipsa verbi notione. Praemisso rursus huius modi indicativo 15, 2 *rogavit (sc. Lepidus) eoque magis, quod et A. — dicebatur et L. — habebat,* licet orationis obliquae modum exspectemus,[6]) scriptorem tamen, ut in altera enuntiati parte et indicativum et nomen proprium poneret pro 'ipse — haberet', concinnitatis studio adductum esse arbitror.[7])

Et modi et temporis inconcinnitas apparet 18, 3 *nam quae res — habebat, si — absit, ea nunc — adfert.* Hic pro condicionali 'si — absit' si temporalis posita esset sententia 'quoad aberat', nulla esset offensio. Nam Lepidus ipse non prius contra Antonianos ad flumen Argenteum castra movisse dicit 10, 34, 1, quam illos ad provinciam suam accedere audisset. Sed Plancum, cum, quo tempore epistulam duodevicesimam dedit, num iter a Lepido iam confectum esset, nesciret (ep. 18 enim ante 17 scripta videtur), a temporali ad condicionalem puto transisse sententiam.[8]) Verum, quia praesentis temporis condicio irrealis significanda est coniunctivo imperfecti, Plancus scribere debuit *haberet, si — abesset* itaque prioris verbi modus, alterius magis etiam tempus offensioni est. Attamen neque indicativus enuntiati relativi plane est reiciendus, quia, quae res nullam habet dubitationem neque cuiquam in dubitationem vocanda est, ad eam indicandam etiam in apodosi irreali indicativus suo est loco, et coniunctivi in protasi 'absit' ex prisca latinitate nullo etiamdum inter potentialem et irrealem casum certo temporis discrimine constituto similia afferri possunt exempla.[9])

Omnino in Planci epistulis, etiamsi longiores et difficiliores circuitus non desunt, saepissime tamen, quae epistularum est licentia, sermonis cotidiani simplicitatem et alacritatem comparere videmus, ita tamen, ut aliquoties neglegentius eum scripsisse verisimilius videatur, quam, quae verba in codicibus leguntur, corrupta esse atque emendanda.

---

[1]) Nam, cum *eum* ex versu priore facile suppleatur, hoc, ni fallor, Plancus dicit: 'Caesar zeigte, soweit ich ihn kennen zu lernen vermochte (nicht aber: so weit ich es wissen konnte), eine durchaus massvolle und menschenfreundliche Gesinnung.'

[2]) Cf. Propert. 1, 1, 15 'potuit domuisse', 17, 1 'potui fugisse'.

[3]) Alia est ratio Plancoque cum ceteris communis, qua verbum finitum assimilatum est vel relatum: 4, 2 ad finalem sententiam *ut id sequerer* in relativa *quod tu optimum putares,* similiter 8, 3 *ut, quae polliceremur* (cf. § 7) — *exitu praestaremus.*

[4]) Quam opinionem confirmari puto coll. Plaut. Men. 20 'uti mater sua non internosse posset' (sc. geminos) et Cic. Acad. 2, 57 'mater internoscit geminos', 56 'internosci posse'.

[5]) Cf. Caes. G. 5, 6, 3 'quod religionibus impediri sese diceret', Serv. F. 4, 12, 3 'quod religione se impediri dicerent'.

[6]) Cf. Caes. G. 1, 23, 3 'Helvetii, seu quod — existimarent, eo magis, quod — commisissent, sive eo, quod — confiderent, — coeperunt', Kraner ad l.

[7]) Simile quid apud Senecam philosophum inveni Nat. Q. 3, 4: 'miramur, quod accessionem fluminum maria non sentiant; aeque mirandum est, quod detrimentum exeuntium terra non sentit'. Idem in tertii libri et quinto capite, quod incipit a verbis 'quidam iudicant', et sexto praemissis 'quidam existimant' paulo post, quae ex aliorum quorundum mente dici videntur, indicativo adhibito proponit, qua de re accuratius scripsit Hammelrath (Progr. Emmerich 1895 p. 11 sq.).

[8]) Cui rei non obstat adv. 'nunc', quo ut praeterito praesens tempus opponitur, cf. 8, 6 in. et § 5 extr., ita condicioni irreali vera, cf. 4, 2.

[9]) Huius modi exemplum Mendelssohn ad l. e Lucretio 2, 1033 attulit, cf. Schmalz Gr. § 297; neque desunt ipsius Ciceronis exempla, velut Or. 141 'si confitear (quod utinam possem) qui tandem — reprehenderet?' cf. Netušil, Annal. philol. 91 p. 853 sq. At C. Lilie (Coniunktiv. Bedingungssatz bei indikat. Hauptsatz im Lat. Progr. des Humboldts-Gymn. Berl. 84) huius loci nullam rationem habuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# TERTIA PARS.

# DE VERBORUM DISPOSITIONE.

Verborum dispositionem tribus puto contineri partibus, quarum prima in verborum ordine versetur, altera sit posita in concinna aequalium partium distributione, tertia denique in numero orationis consistat.

## A. De verborum ordine.

### 1. De singularum partium collocatione.

#### a. De subiecto, obiecto, praedicato.

Partium enuntiati is ordo, qui et cogitandi legibus et grammatistarum praeceptis conveniat, in Planci epistulis non deest. Ep. 17 quidem ineunte in pluribus sententiis continuis subiectum et praedicatum hoc ordine sese excipiunt, cf. 24, 3 et 8 in. Sed maior fit verborum gravitas cum omni coniunctionis vinculo reiecto pro nomine subiecto verbum praedicativum primum sententiae locum obtinet: 23, 6 *veniat Caesar.* Asyndeti vis duobus locis, qui inter se respondent, elucet: 9, 3 in. *concupisco autem nihil mihi: et temporis et rei — patior esse,* 21, 7 ex. *concupiscere me nihil oportet: habeo te et — et —.*[1])

Neque subiectum sententiae interrogativae praemissum quidquam habet offensionis 15, 3 in. *adventus m. quid profecturus esset, vidi;* 8, 4 extr. similis enuntiati subiectum *denuntiatio* duplici attributo praeditum antecedit verba *quam periculosa esset;* bipartitae denique sententiae biceps praeit subi. 24, 1 extr. *amor ac iudicium utrum — an sit allaturus, non f. dixerim.*[2]) Neque audacius alias enuntiati partes coniunctioni Plancus praeposuit: 8, 7 *haec (acc.) si,* ibid. *eos vero, qui — potuerunt, ut commendatos habeatis,* 18, 3 *mihi enim si,* 24, 4 *ad hoc robur — sive — sive,* § 7 *de his rebus ut exigeret.*

#### b. De appositione.

Plancus, qui adiectivi superlativum ex usu communi enuntiato relativo recepit 23, 6 *cum copiis, quas habet firmissimas,* idem insolenter segregavit appositionem a nomine suo 21, 7 *fratrem meum tibi, fortissimum civem,* nimirum ut pronomina iuxta poneret, sicut fecit 24, 1 *tu mihi tecum.* In eadem ep. § 4 *accessit eo, ut milites eius, cum Lepidus contionaretur, improbi — corrupti — conclamarint viri boni pacem se velle,* sive 'viri boni' appositionis loco esse putas, sive, quia subiectum 'milites eius', praeditum attributis, longiore intervallo praecedit, hoc vocabulo subiectum recipi mavis, seditiosi certe[3]) milites cum simulatione hoc nominativo indicantur, qui verbo finito 'conclamarint' ideo videtur applicatus, quod eo, cur addatur, causa continetur.

### 2. De sententia ineunte atque extrema.

Primum sententiae locum ea saepissime adiectiva occupaverunt, quae ad rei magnitudinem pertinent, quo ex numero magnus in omnibus legitur gradibus, quod adi., quo maior eius fiat gravitas, a substantivo suo segregari solet:[4]) 8, 3 *magnis saepe praemiis,* 11, 3 *maximo sum animo et maiore fortasse cum mea gloria.* Huius adiectivi vis repetitione aucta est 18, 3 duobus locis.[5])

---

[1]) Item, si verbum verbo opponitur, neque, quis fecerit, sed quid factum faciendumve sit, quaeritur, praedicatum subiecto antecedere consentaneum est: 21, 4 *aut vindicarat Lep. aut sanarat,* 8, 3 sq. *confirmandus erat —; confirmandae —; eliciendae —, muniendi — fuimus,* cf. Cic. Cat. 1, 9 'fuisti' q. s.; Caes. 6, 38 al.

[2]) Hanc Planci liberiorem collocationem eo minus offendere dico, cum ne Cicero quidem verbo finito, quod est enuntiati primarii, inter subiectum ceterasque secundarii partes interiecto illius nominativum obiecti accusativo commutavit 12, 29, 1 extr. 'causa enim intellegis quae verba desideret', quo loco collato defenditur simillimus eiusdem alter in suspicionem vocatus et iniuria temptatus: 4, 1, 2 'res vides quo modo se habeat', cf. Mend. ad l. Quid quod idem scriptor elegantissimus ad Q. fr. 1, 3, 10 obi. 'reliqua', ut primo loco collocaret, tota sententia optativa interiecta longiore spatio ab ultimo segregavit infinitivo?

[3]) Minus recte *viri boni* gen. intellectus ad Antonium referretur, quocum ut bono viro Lepidi milites pacem facturi essent.

[4]) Cf. Caes. G. 5, 58, 5 'magna proponit iis, qui occiderint, praemia'.

[5]) Eiusdem adiectivi gradationem a positivo ad comparativum Planco 8, 2 *ut aut — magna ipse* (codd. 'in spe') *ad proficiendum impedimenta opponerem aut maiores occasiones ad opitulandum haberem* cum Caesare (C. 3, 47, 5) et Pollione (F. 10, 32, 1) communem esse Landgraf p. 46 adnotat (Untersuchungen z. Caes. u. s. Fortsetzern, Münch. Wilh.-Gymn. 88).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Idem adi. cum ablativo modi coniunctum est 23, 5 in. *magno cum dolore paricidarum elapsus sum eis,* quem ablativum, quo maius pondus verbis tribuatur, genitivus ipsius nominis sequitur, cum pronomen hoc fortasse loco exspectatum verbo sit postpositum; sententia, qua haec epistulae pars ad finem perducitur, habet adi. similiter collocatum *maiorem eis frustratio dolorem attulit.* Rursus 21, 4 *milites eius, cum Lepidus concionaretur,* quod pron. 'eius' attributi loco positum praecedit nomen proprium, quod in enuntiato secundario subiecti locum obtinet, hanc insolitam pronominis collocationem et simili Ciceronis loco (Att. 5, 10, 1) et Lepidi nomine iam superiore paragr. (21, 3) prolato satis puto defendi atque excusari.

Primum sententiae locum constat nunquam concedi interiectioni 'mehercules', de cuius forma hac commentatione ineunte (p. 3) diximus; sed, si totius sententiae gravitas augenda videtur, verbo finito illa particula, sin unius vocabuli maxima est vis, huic postponitur: 15, 3 *cupio mehercules nullam residuam sollicitudinem esse,* 24, 6 *dolenter mehercules magis quam inimice facio;*[1]) nulli tamen libentius quam negationi: 18, 3 *non mehercules horam constitisset,* 23, 1 *nunquam meh. — me paenitebit.*[2]) Quod idem fit simili locutione 'medius fidius' 7, 2 *non medius fidius mediocri dolore adficiebar,* ubi haec asseveratio inter duo verba cohaerentia similiter interiecta est atque 24, 6 'mehercules'.[3])

Durius sententia pronomine clauditur: 21, 1 *indicabo temerarium meum consilium tibi,* cf. § 7 *fratrem meum tibi;* 23, 1 *si quid acciderit mihi,* cf. 18, 1 *accidit mihi;* 23, 5 *elapsus sum eis,* 15, 3 *ut occurreret ei,* cf. § 4 *occurrere ei.*[4])

### 3. De collocandi legibus quibusdam.

Aequales enuntiati partes si inverso ordine redeunt, chiasmus efficitur, sin eodem ordine repetuntur, brevitatis causa liceat uti anaphorae nomine.[5]) Cicero quidem in brevibus praesertim locutionibus chiasmum libenter usurpavit, cf. pro multis exemplis Phil. 13, 16 'natura efficit, adiuvat fortuna' F. 10, 3, 2 'virtute duce, comite fortuna'; Plancus illi verborum ordini anaphoram plerumque praetulit, etiam quo loco his, quae modo ex Ciceronis ep. attuli, verbis respondet: 4, 2 *aut fortunae beneficio tributa, aut meo labore parta.* Eodem ordine plura possessiva cum substantivis suis coniunxit 4, 4 *ne inter aliena vitia nostra mala suam putent occasionem,*[6]) inverso tamen ordine non plane repudiato, cf. 23, 7 *sollicitudines meas — tua merita.*

Nonnullis locis decussatim Plancus verba disposuit. Ita adverbia utrimque verbi formis cinguntur 8, 1 *cogitata iam pridem maturo tempore enuntiare,* nomina participiis 8, 4 *aucto exercitu auxiliisque multiplicatis,* attributa ablativis ibid. § 7 *in damno neae laudis rei p. commodo laetabor,* ibid. § 6 infinitivi supplementis *vel provinciam tueri vel ire, quo res p. vocet,* paulo post obiecta verbis *tradere — convertere* et in versu subsequenti *aut confirmare patriae salutem aut periculum possim morari,* ibid. § 5 verba comparativis *tectius — tutiores.* Haec tot chiasmi exempla cum una contineantur epistula, quam Plancus ad senatum misit, consueta sua collocatione temperata hanc magis artificiosam consulto eum affectasse existimo.

Idem in attributis addendis interdum, ut chiasmum efficeret, de consueta videtur collocatione deflexisse, velut 23, 4, cf. progr. p. 9 adn. 39, quam tamen ter servavit 4, 1, cf. 8, 2 extr. *funestam orbi*

[1]) Cf. Petron. 43 'puto mehercules q. s.', Vatin. F. 5, 10, 2 'omnia mercule cupio', Cic. ad Att. 2, 19, 2 'magis mehercule quam vellem'.

[2]) Cf. Cael. 8, 16, 1; Cic. F. 9, 26, 2, Att. 2: 7, 2 16, 2; 5: 10, 1 21, 7; Poll. quoque 32, 4 'aegre mehercules'. Eadem interiectio coniunctioni adversativae applicari solebat, itaque apud Ciceronem 'sed mehercules' legimus (F. 10, 19, 2), apud Senecam philos. 'at mehercules', apud Plinium in epp. saepenumero 'at Hercule'.

[3]) Cf. Cic. ad Q. fr. 1, 2, 11, Cael. 8, 16, 3 extr., Hirt. ad Att. 15, 6, 3; Plin. ep. 4, 3, 5. Utramque particulam per ellipsin (ita me Hercules iuvet vel amet) intellegendam esse docet Wölffl. ad b. Afr. 16, 1.

[4]) Haec collocationis asperitas Planco cum Galba (10, 30, 1, cf. Hellm. 88 p. 25, qui et Planci tria priora exempla attulit et M. Bruti similia addidit, cf. Schirmer p. 21) nec non cum Pollione (31, 2. 4. 6 et 32, 4 extr., cf. Schmalz p. 53 sq.) communis est.

[5]) Hoc nomen Schmalz proposuit Lat. Stil. § 43 (ap. Müll. II² p. 556): Ausserdem ist wirksam die Stellung in der Anaphora; hierunter verstehen wir die Wiederkehr derselben Wortfolge im nämlichen Satze oder auch in verschiedenen Sätzen, z. B. Caes. b. G. 2, 27 'transire latissimum flumen' cet.; besonders eindringlich wird die Anaphora durch Wiederholung des ersten Wortes, z. B. Cic. Lael. 74 'dispares mores, disparia studia sequuntur'.

[6]) Eisdem fere verbis Livius chiasmum conformavit 4, 58, 1 ex. 't. afuit, ut ex incommodo alieno sua occasio peteretur'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*terrarum victoriam* et 8, 5, ubi, cuius modi mandata dedisset, ablativis interpositis *verbo — scriptura* explicavit. Quin etiam coniunctiones in partem huius collocationis venire forsitan putaveris, cum condicionali utrimque contineantur particulae distributivae 'aut — aut' 4, 2 *si aut, — aut, si,* copulativae 'et — et' coniunctione causali 'quod' 17, 2 *quod et —, et quod.*

Omnino ne Plancum verborum collocationem ad suum arbitrium direxisse putemus, admirabilis impedit compositionis concinnitas, de qua proximo capite dicturi sumus. Exquisita certe perpensaque est collocandi ratio 23, 2 *adiunxi haec in loco eligendo, flumen oppositum ut haberem, in quo mora transitus esset, Vocontii sub manu ut essent, per quorum loca fideliter mihi pateret iter,* ubi post enuntiatum primarium bipartitae finalis, quae accedit, sententiae primum quodque vocabulum ('flumen' et 'Vocontii') ad locum spectat ab illo electum, sequuntur praedicativa 'oppositum' et 'sub manu', postremo, quae loci electi condicio fluerit, explicatur enuntiato rel. addito, quod utrumque a verbis modo allatis segregatum est coniunctione et verbo finito una interiectis. Hic utrum subtilis collocationis elegantia an concinnae distributionis sollertia admiratione dignior sit, haud facile diiudicaveris.

## B. De partium aequalium distributione.

Pluribus sententiae partibus aequaliter conformatis coniunctiones aut omnino omitti aut, quot sunt membra, toties positas inter se referri notum est. Quae concinnitas apud Plancum quam plurimum valet in binis membris copulatis, sed etiam in dissolutis eiusdem generis comparet, neque deest in ternis sive copulatis sive non copulatis.

### 1. De binis membris aliqua coniunctione copulatis.

Aequalium membrorum varia sunt genera pro coniunctionum natura, in quibus eum nos cursum tenebimus, ut exorsi a copulativis ad coniunctiones progrediamur distributivas, deinde adversativis perlustratis potremo ad eas perveniamus, quibus comparatio aut condicio indicatur.

#### a. Coniunctio est copulativa.

Nomina subiecti loco sunt posita 17, 1 *et ipse et fortuna,* 8, 3; obiecti 8, 1 *et hominum exspectationem et spem rei p.,* 23, 4; 15, 1 *et mihi et rei p.,* 4, 4 *et tibi et omnibus;* attributi 9, 3 *et temporis et rei moderatorem,* 24, 5 *et illius et vestro iudicio,* § 7 *et rei p. et ipsius causa.* Attributum additamento auctum est 15, 4 *et audaciae perditorum et nostrae sollicitudinis finem;* maximo idem est ambitu 8, 6. Praedicativa nomina ita sunt copulata 21, 7 *habeo te et amantissimum mei et — summae auctoritatis,* suspensa ex praep. 18, 1 *et ex litteris — et ex ipsis cogn.,* ex adiectivo denique 17, 2 *dignum aliquid et consulatu m. et v. exspectatione.*

Infinitivi ita copulati sunt accedente accusativo obiecti, subiecti, praedicativo: 18, 3 *et Lepidum tueri et exercitum facere meliorem,* cf. 15, 3; 8, 5 *et communem salutem muniri et nos armari;* 8, 4 *me — et simulasse invitum et dissimulasse cum dolore.*

Tota enuntiata inter se respondent 23, 4 *et adhuc vivit et dicitur victurus,* 18, 3 *tantum ego et confido et sic — despicio;* primaria conectuntur praemisso utriusque duplici obiecto 21, 1 *omnia ei et petenti recepi et ultro pollicitus sum,* secundaria praemisso acc. pron. 7, 1 *quae et tua exhortatione excepi et mea adfirmatione tibi recepi;* rei totius utraque pars integro enuntiato relativo definitur 21, 3 extr. Coniunctio praemissa est causae 15, 2 *quod et A. — dicebatur et L. — habebat,* saepius consilii 7, 2 *ut et nunc sentiant hom. et in posterum memoria teneant,* 8, 3 et 5.[1])

Priore membro negato respondet alterum affirmativum 21, 2 *posse me nec delibare et subesse tamen,* cf. Cic. 11, 21, 4 'nec metuam quidquam et cavebo omnia'.

Negativa particula ad duo accedit nomina 11, 3 *neque animum nec diligentiam.* Planci locum 8, 7 *nec ulla spe decipi nec ullo metu terreri* conferas velim cum Poll. 32, 5 'neque vendere ullis praemiis

[1]) Finalis sententiae priori membro coniunctio addenda videtur (cum Lambino, cf. Mend.) 23, 3 *ut et spatium — hom. haberent et ego me coniungerum,* sicut factum est paragr. ineunte *ut et celeriter me reciperem et hic discessus — haberet.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nec — metu — deminuere'; ipsius Planci inter se sunt comparandi: 24, 8 *neque — putamus, neque tamen commissuri sumus*; 4, 3 *neque — discreparem, nec nunc committam.*

Coniunctionis repetitae et copulativae et distributivae singuli exstant loci minus accuratae aequabilitatis: 17, 2 *quod et posset et quod — existimabam;* 8, 2 *ut aut celeriter pollicendo — opponerem aut, si — temperavissem, — haberem.*

### b. Coniunctio est distributiva.

Paucis locis aut soli alteri membro tributum est negatione aut verbo graviter et significanter praemisso: 9, 1 *nihil me tibi — aut te ceteris recepisse laetor,* 23, 3 *non quicquam imp. amitteretur aut interciperetur;* 23, 6 *veniat C. —; aut exercitus mittatur.*[1])

Vel a Planco ut a ceteris adhibetur et duplicatur, si duae, quae fieri possunt, res in eius, qui agit, arbitrio positae sunt: 23, 2 *consedi eo consilio, ut vel celeriter accedere vel salutariter recipere me possem;* coniunctionibus et verbis repetitis 15, 3 *vel quod — possem, vel quod — possem.*

Coniunctione 'aut' iterata nomen nomini opponitur 18, 2 *aut pertinaciae meae aut timori,* quorum utrumque bipartito enuntiato insequenti explicatur: *si aut — non sublevassem aut ipse — me removissem;* similis ratio exsistit coll. 23, 7 *aut ex amore aut ex iudicio tuo* et sententia interrog. 24, 1 extr. Eadem particula repetita adverbia seiuncta sunt 9, 3 *aut sero aut exigue* in sententia negativa, in affirmativa participia 24, 6 *aut oppressum iam bellum esset aut — extrusum,* ablativo utrique addito 4, 2 *bona aut fortunae beneficio tributa aut meo labore parta,* infinitivi cum obiectis secernuntur 8, 2 *aut sordidum quidquam pati aut perniciosum concupiscere,* ibid. § 6 extr., verba finita 21, 4 *aut vindicarat L. aut sanarat,* enuntiata denique coniunctione condic. praemissa 24, 8 *quod si aut Caesar se respexerit aut Africanae legiones celeriter venerint,* cf. 18, 2 extr., repetita eadem particula post alterum 'aut' 4, 2 *si aut aliter sentirem — aut si dubitarem.*

### c. Coniunctio est adversativa.

Interdum Plancus ita aequalem partium distributionem instituit, ut fictae veram causam opponens negativam sententiam praemitteret, affirmativam adderet coniunctione adversativa, velut 8, 1 extr. *non enim culpam videri volo redemisse, sed enuntiare,* 24, 2 *non potentiae meae causa — sed;* 8, 3 *neque nudi — sed — cum facultatibus acced.,* 24, 6 *neque ego superiora repetam; sed.*[2])

Prioris membri sententia corrigitur quodam modo 8, 6 *non solum bene sperare, sed explorate iudicare,*[3]) particula 'quoque' addita alterius membri vim imminutam potius putaverim quam auctam 21, 5 *non modo honorem, sed misericordiam quoque defuturum;* quacum superlativus 'plurimum' minus apte videtur convenire 24, 7 *multum videntur — proficere posse, plurimum — tu quoque,* quo loco utrum concinnitatis an brevitatis causa auctor ita scripserit, ambigi potest.

Amplificavit Plancus sententiam 17, 2 *non solum hortatus sum, verum etiam coegi,* cf. Cic. ad Att. 4, 1, 6, cui tamen locutioni Cicero in epistulis saepius supposuit eam, quam ab initio dilexit, 'non modo — verum etiam'. Ab hac locutione ut prope absunt Ciceronis de am. 43 'non modo — sed potius' et Tusc. 2, 11 'non modo — sed multo magis', ita non longe abesse Plancinam 7, 1 *nec te magis defensorem mihi paravi, quam praedicatorem — esse volui* demonstratur simillimo loco Cic. ad Att. 1, 16, 1 extr. 'te non solum auctorem, verum etiam spectatorem desideravi'.[4])

---

[1]) Caesar in re simili 'vel' usurpavit G. 4, 16, 5 et 6 'orabant, ut sibi auxilium ferret — vel — exercitum modo Rhenum transportaret'.

[2]) Qua sermonis ubertate imprimis auctor belli Afr. delectatus est, cf. 16, 2 'Non sum tiro, Labiene, sed de legione X. veteranus', 13, 1 'aciem — non peditum, sed equitum'.

[3]) Caesar itidem scripsit G. 7, 54 extr., cum Cicero 'non modo — sed' praeferat (cf. pro Planc. § 76 'non modo lacrimulam, sed multas lacrimas', Schmalz ap. Müll. II² p. 469) neque tamen illam locutionem respuat (cf. pro Planc. § 73 'non lacrimis solum tuis, sed animo, corpore, copiis', Landgr. ad Rosc. 62, Hellm. act. sem. Erl. I p. 153 sq.).

[4]) Tacitus, utpote qui brevitati quam maxime studeret, in altero sententiae membro omissa coniunctione adversativa contentus erat particula 'etiam' Ann. 4, 35 in., cf. Nipp. ad l., sola particula 'quoque' Hist. 2, 27.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

d. **Coniunctio est comparationis et condicionis.**

Sive comparativae locutiones adhibentur: 4, 2 *non magis prudentiae plena — quam fidelitatis,* 17, 2 *non magis sibi quam rei p. convaluisse;* 18, 1 *error est magis quam culpa,* 18, 1 *consilium — periculosum m. q. tutum,* 24, 6 *dolenter mehercules m. q. inimice;* 18, 3 *potius periclitari volui — quam nimis cautus videri,* 8, 3 med. *ab re publica p. moderata q. ab uno infinita,* eadem paragr. extr. *p. cum pluribus — q. cum paucioribus,* cf. *prius quam* 8, 1; 7, 2 extr. *non minus posse te quam velle,* 11, 2 *n. m. furiosa — q.;* sive, quae rei condicio sit, bipartita indicatur periodo, cuius altera parte continetur *sin* 8, 7, *si autem* 9, 3, *si vero* 11, 2, utraque *sive* 24, 4:[1]) auctorem et varietatem spectasse et concinnitatem nemo non videt.

### 2. De binis membris dissolutis.

Aliquotiens, ne oppositionis vis frangeretur, Plancus repudiata coniunctione, quod maximi ponderis erat vocabulum, ceteris praeposuit. Pronomina personalia sic collocata premuntur 17, 2 *mihi prudentiam defuisse sciat, non illi fidelitatem.*[2]) 'Ipse' pron., si subiecti loco est positum, non patitur ullam additam particulam, atque, ut Caesar saepe legatis, ita Plancus fratri, qui equitatui praeerat, se opposuit 11, 2 bis, 15, 3.[3]) Qua tamen insigni verborum collocatione tantum abest ut aequalis verborum distributio perturbetur, exsplendescit etiam clarius, velut 9, 1 *pervidere te spero, cognituruum magis recipio.* Enuntiata dissoluta ut compositi enuntiati exempla supra tractavi (p. 16).

### 3. De ternis membris sive copulatis sive non copulatis.

Coniunctio copulativa trium nominum nulli tributa est 24, 1, sive recte hoc loco sive falso repetita sunt *observantia, indulgentia, adsiduitate,* nulli deest 9, 3 *et numero et genere et fidelitate.* Simili ratione 'nec' ter ante substantivum legitur 11, 3 *nec animo nec benevolentia nec patientia,* ter ante infinitivum 21, 6 *nec depugnare, si occasio tulerit, nec obsideri, si necesse fuerit, nec mori, si casus inciderit,* ubi trium verborum, quae cuiusque sit condicio, subsequenti enuntiato explicatur et ipso ternis verbis composito; tria nomina, quorum attributa in maiorem deinceps ambitum crescunt, suum quodque habent 'vel' 4, 1 extr.; eadem particula ter est posita ante sententiam causalem 24, 5, quater ante infinitivum 8, 6.

Tria sunt membra non copulata 8, 6 *legiones — provinciam — auxiliorum tantas copias;* quartum intervenit 21, 5 *exercitum fideliss., auxilia max., principes Galliae, provinciam cunctam.* Tertium Plancus particula 'que' adiunxit 8, 6 extr. *exercitum, auxilia provinciamque.* Eadem ratione nomina et enuntiata copulantur 15, 1 *se, liberos urbemque* (cf. abstracta Cic. F. 12, 23, 4 'fidem, diligentiam prudentiamque); *egi, ut — succurreret, se — putaret obsequioque — abuteretur;* quod hoc loco praeit, verbum regens sequitur 21, 6 *exercitum — habeam, provinciam tuear omniaque integra servem, dabo operam.* Bis posito 'neque' tertium enuntiatum coniunctione 'et' adnectitur 24, 1.

Ternum membrorum primum quodque caret coniunctione 11, 3 *fratre meo et Laterense et Furnio nostro,* 8, 2 *in ea fortuna — et ab ea vita — et cum ea spe,* 17, 3 *fac valeas meque diligas dignitatemque meam tuearis.*

## C. De numero orationis.

### 1. De aequabilitate.

Etiamsi in fori causis orationis numerum plus valere quam in universo epistularum genere concedendum videtur, quia epistulae, quibus res gestae exponuntur, per longiores sententiarum comprehensiones profluere solent, cum is, qui causam dicit, minutioribus membris orationis saepius insistat: tamen, cum (ut ait Cicero Or. 198) omnis oratio aequaliter constanterque ingrediens numerosa habeatur

[1]) Quod coniunctum cum uno praedicato idem valere, quod 'si vel — vel', Andresen ad l. admonet.
[2]) Coniunctio admissa est 8, 7 *mihi quidem ipsi —; eos vero,* 15, 4 *ego tamen.*
[3]) Cf. 9, 3 *equites — praemisi. ipse — capiam.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Planci quoque epistulae numero non carent, namque eam habent concinnitatem, quam numerus sequatur necessario. Concinnitati autem atque aequabilitati hunc scriptorem enixe operam dedisse supra ostendi et utroque huius partis superiore capite nonnullos iam locos verborum collocatione partiumque aequali distributione illustres enotavi.[1])

Ut 9, 1 ex. terna verba inter se respondere vidimus, eadem fere ratione quinum verborum duo membra similiter cadunt 7, 1 *quae et tua exhortatione excepi et mea adfirmatione tibi recepi;* sequuntur duo eodem verbo clausa: *non minus — quam — volui, nec — magis —, quam — volui;* 21, 1 in. et ibid. ex. enuntiati secundarii septena verba quinis primarii succedunt, posteriore loco septem verbis praemissis his: *non licuit diutius bene de eo sperare.*

Saepius Planci comprehensio e quattuor constat partibus,[2]) atque 11, 3 primario enuntiato bis praemisso utrobique secundarium sequitur e Ciceronis praecepto[3]) longius *do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad huius rei societatem incitem, omniaque ei opsequia polliceor; si modo rem p. respicere volet;* duae causales sententiae multo longiores sequuntur 17, 2 *sed ego eum non solum hortatus sum, verum etiam coegi isto proficisci, quod et — iuare posset in castris, et quod — indigere existimabam.*

Aequalia fere circuitu sunt quattuor enuntiata, quorum cuique priori, quodcunque sequitur, ut superiori subiunctum est, 18, 3 *sed non possum non exhorrescere, si quid intra cutem subest vulneris, quod prius nocere potest, quam sciri curarique possit,* item aequalia 11, 2 *si nudus hoc se Antonius confert, facile mi videor per me sustinere posse remque publicam ex vestra sententia administrare, quamvis ab exercitu Lepidi recipiatur,* si quidem sententiam primariam ab utroque latere secundaria cinctam duarum partium esse statuimus, quarum utraque infinitivo clauditur; nec minus aequaliter 17, 2 *quod si latro praecognito nostro adventu rursus in Italiam se recipere coeperit, Bruti erit officium occurrere ei, cui scio nec consilium nec animum defuturum* sententia condicionali divisa sena fere verba comprehenduntur. Summa efficitur concinnitas 21, 6 *nec depugnare, si occasio tulerit, nec obsideri, si necesse fuerit, nec mori, si casus inciderit, pro vobis paratior fuit quisquam,* nam binis terna verba ter respondent, postremo quinque sunt addita.

Paulatim crescit quattuor membrorum circuitus 17, 3 *fac valeas meque mutuo diligas dignitatemque meam, si mereor, tuearis, sicut adhuc singulari cum benevolentia fecisti;* duplici ascensu idem fit membris librarii interductu inter se divisis 11, 1 *primae tuae sententiae infinitis cum muneribus, posteriores ad tempus arbitriumque amicorum meorum compositae, oratio assidua et perpetua de me, iurgia cum optrectatoribus propter me notissima mihi sunt.*

Rursus, ne, qui legeret epistulas, satietate afficeretur, primaria sententia bipartita aequales fere partes tres sunt constitutae 17, 2 *quod si qui vestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem;* secundaria divisa 11, 1 *non mediocris adhibenda mihi est cura, ut rei p. me civem dignum tuis laudibus praestem, in amicitia tua memorem atque gratum;* quo utroque loco haec triplex periodus sequitur quadruplicem.

Summa vero aequabilitas apparet 24, 1, ubi, quotquot sunt sententiae, singularum terna constitui possunt membra et verbis, sicut sunt, interpunctis aut e conexu compositis hi numeri efficiuntur:

3, 9, 5; 4, 6, 4, 3 4 5, 3 3 4. 5, 7 6; 7 6 5, 3.

---

[1]) Eo loco, quem primo huius partis capite exeunte posui (23, 2), enuntiatum primarium praemissum *adiunxi haec in loco eligendo* ideo maiore, quam ab editoribus posita est, interpunctione a verbis sequentibus segregare velim, quod duobus explicatur enuntiatis, quorum utrique sententia relativa adiuncta est. Requisitam interpunctionem Orelli et Klotz ante voc. 'Vocontii' posuerunt.

[2]) Cf. Cic. Or. 221 'Constat enim ille ambitus et plena comprehensio e quattuor fere partibus, quae membra dicimus, ut et aures impleat et neque brevior sit quam satis sit neque longior'.

[3]) Cic. de or. 3, 186 'membra illa modificata esse debebunt, quae si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus —. Quare aut paria esse debent posteriora superioribus, extrema primis, aut, quod etiam est melius et iucundius, longiora'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tanta hoc loco est concinnitas, ut tria membra tripartita ab utroque latere triplici sententia cingantur,[1]) addatur sententia interrogativa, suspensa ex tribus enuntiati primarii verbis *non facile dixerim,* similiter atque sexta huius epistulae particula tribus verbis clauditur *exputare non possum,* septima totidem *plurimum ipsum iuero.*

## 2. De oratione numerosa.

Numerosam orationem proinde atque versum poeticum 'intervallorum longorum et brevium varietate' effici constat, cf. Cic. Or. § 187;[2]) sed, cum in versu certus sit pedum ordo atque definitus, in oratione neque genus pedum praescriptum est neque numerus constrictus atque circumclusus.[3]) Qui numerus etsi ceteris orationis ornamentis aliquanto serius est notatus atque cognitus, orationis tamen eo privatae negat idem Cicero ullum esse impetum demonstratque exemplis (Or. 229 sqq.).

Tantum autem abest ut versus similitudo anxie appetatur, ut integer versus per imprudentiam profusus vehementer vitiosus a Cicerone iudicetur (Or. 189).[4]) Minimae quidem offensioni est senarius iambicus, in quem apud Plancum ita exit sententia 24, 7: *auctoritatem, plurimum ipsum iuvero,* neque indecorus in oratione soluta est versus heroi exitus, qui aliquoties in Planci epistulis legitur, velut 7, 1 extr. *cognoscere posses,* 23, 1 *interciperetur.*

Id vero Planci praeter ceteros proprium videtur, quod idem fere numerus saepe per plura verba trisyllaba continuatur: 8, 2 *magnosque honores — complures — videbam,* § 4 extr. *ex casu conlegae videbam,* § 5 in media sententia *communem salutem muniri.*

Epistula ineunte Planco diiambum non displicuisse plures epistulae testimonio sunt: 4, 1 *gratissimae,* 15, 1 *his litteris.* Sed in primis quoque sententiis nonnullae epistulae numerum praebent repetitum. Ita duodevicesimae epistulae singulae particulae a tribus vel plus tribus brevibus syllabis incipiunt: § 2 et 4 *itaque,* § 3 *itaque potius,* § 1 *quid in animo;* septimae epistulae utraque paragr. a paeane[5]) initium ducit: § 1 *plura tibi,* § 2 *non medius.*

Prima tamen epistula Plancus orationis numerum minus videtur diligenter curavisse quam extrema, non iniuria, quia (ut ait Cicero de or. 192) 'in oratione pauci prima cernunt, postrema plerique'.

## 3. De sententiae conclusione.

Etiamsi oratio debet 'tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa consistat', tamen quam maxime exeunte sententia orationis numerus apparet, 'cum aures extremum semper exspectent in eoque adquiescant' (Or. 199).[6])

In his epistulis sententiae conclusio, quae clausula vocatur, saepissime ditrochaeo efficitur quaternis vel quinis (semel 18, 1 sex) syllabis postremo vocabulo comprehensis:[7]) 4, 2 *sanctitatem,* § 4 *occasionem;* 7, 1 *sum persecutus;* 8, 1 *enuntiare,* § 3 *accederemus — existimarent,* § 5 *excubare;* 15, 1 in. *pertinere,* § 1 ex. *abuteretur,* § 2 *transierunt;* 17, 2 *existimabam; — fidelitatem;* 18, 1 *obtrectationem,* § 3 *constitisset: — abstraxissent: — excitavit;* 21, 2 *denuntiabat,* § 6 *vindicetis, — permanebit;* 23, 7 *iucundiora;* 24, 4 *deduceremus. — contulisse.*

---

[1]) Singulari huic sententiarum aequalitati etiam trium nominum 'observantia, indulgentia, adsiduitate' parvo intervallo repetitorum insolentiam condonari par est.

[2]) Cf. Cic. Or. 190 extr. 'sit igitur hoc cognitum in solutis etiam verbis inesse numeros eosdemque esse oratorios qui sint poetici', § 188 'nullus est igitur numerus extra poeticos'.

[3]) Cf. Quint. 9, 4, 60 'versus semper similis sibi est et una ratione decurrit, orationis compositio nisi varia est, et offendit similitudine et affectatione deprehenditur'.

[4]) Cf. Or. 201 'eadem cum faciamus quae poetae, effugimus tamen in oratione poematis similitudinem'; § 194 'aliud enim quiddam est oratio nec quicquam inimicius quam illa versibus'; 227 'numerus — non modo non poetice vinctus verum etiam fugiens illum eique omnium dissimillimus'.

[5]) Quem 'mollissimum esse numerum eundemque amplissimum' praedicat Cic. Or. 192.

[6]) Cf. ibid. 'plerique censent cadere tantum numerose oportere terminarique sententiam', de or. 3, 192 'clausulas — diligentius servandas esse arbitror quam superiora, quod in eis maxime perfectio atque absolutio iudicatur'.

[7]) Cf. Cic. Or. 216 extr. 'sed hos cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adiungo, quod minimum sit, proximum superiorem, saepe etiam tertium'; de or. 3, 193 'duo enim aut tres fere sunt extremi servandi et notandi pedes'. — Ditrochaeus in clausula vel dichoreus quanta apud veteres in gratia fuerit, Cicero ostendit Or. 214.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Spondeum Plancus, ut aliquam orationi dignitatem adderet, in conclusione saepius duplicavit: 17, 1 *confecturum,* 18, 2 *removissem,* 21, 2 *exspectarem,* 23, 3 ex. *expectabam,* 21, 6 *perturbentur.*

Ad gravitatem augendam omnes fere octavae ep. exeuntis sententiae baccheis aut molossis terminatae sunt 8, 7: *laetabor; — accedam, — commendo. — paratus;* atque repetito eodem numero postremis duobus verbis: *petendum videtur.* Idem numerus suo est loco in postrema ep. (24), quam cum cura et dolore se scripsisse ipse § 6 affirmat: praecipue § 3 *resistat. — tironum. — habemus,* § 5 *videtur,* § 6 *extrusum. — non possum.*

At nona epistula, cuius quam grata sibi fuerit fama, Cicero ep. 14 in. palam profitetur, brevium syllabarum, quae in sententiarum exitu leguntur, volubili numero multo proclivius labitur, cf. § 1 ex. *recipio,* § 3 *impediar, — faciam; — opposierit, — capiam.*[1])

Neque tamen solum in universis epistulis, sed etiam in singulis eiusdem epistulae partibus pro argumenti varietate numerus variatur. Epistula quidem undecima ineunte, qua Plancus, quam grato erga Ciceronem animo sit, non sine gravitate pronuntiat, a dispondeo *immortalis* initium ducens sententias molossis vel baccheis terminat, cf. 11, 1 *dum vivam; — non possum; — tenebo.*[2]) Rursus § 2 ex. duo cretici *perditos opprimant* nonne alacritatem fortiter aggredientis significare videntur, religionem vero rite spondentis, quod praeit, part. fut. spondiaco numero *praestaturum,* alterum, quod sequitur, *defuturam?*

Cum plerique paeana pedem aptissimum ducerent orienti orationi vel mediae vel etiam cadenti, hoc loco Cicero creticum illo aptiorem iudicavit Or. 192. Quem Plancus secutus creticum cum alioqui adhibuit, velut 15, 3 extr. *subsequar,* 17, 3 *uterer,* 24, 1 ex. *dixerim,* tum in valedicendi formula, quam supra memoravi, *fac valeas meque mutuo diligas* ep. ex. 4. 7. 15. 17. 21, quo postremo loco 'mutuo' deest.

Plancus igitur orationem suam e Ciceronis praecepto (Or. 195) cavens, 'ne numerosa esset, ut poema, neve extra numerum, ut sermo vulgi', cum omnem tum cadentem variis numeris temperavit legentiumque satietati eo facilius occurrens, quod neque verba eius neque sententiae pondere carent,[3]) suo quemque loco aptissimum numerum adhibuit.

---

## QUARTA PARS.

# DE UNIVERSA EPISTULARUM ELOCUTIONE.

Cum praeter aptum verborum delectum, flexionem, constructionem, dispositionem scriptori videndum sit, ne sermo obscuritate impediatur, ne laedatur inconvenientia, ne nimia locutionum similitudine copiave dictio langueat aut deficiat inopia vel etiam indigentia, ne denique oratio tropis figurisque, quae eius ornamenta sunt, nuda sit atque despoliata, de his deinceps rebus disseram, ut, quantum singulis Plancus rebus satisfecerit, perspicere possimus.

## A. De perspicuitate aut obscuritate.

Ex Planci epistulis, quid quoque loco significetur, eo facilius potest cognosci, quod in plerisque certus sententiarum cursus tenetur. Primo enim auctor Ciceroni pro eius erga se meritis gratias agere solet, deinde, quae sit praesens rerum condicio quaeque proximo tempore exspectanda, exponit, postremo totum rei publicae se devovet dignitatemque suam tuendam commendat, cf. ep. 11; quarum partium primam et postremam ab homine vehementer sollicito et valde occupato reici non mirabimur, cf. ep. 18.

---

[1]) Hunc incitatum numerum ante bisyllabas verbi 'posse' formas saepius deprehendi: 21, 2 ex. *celeriter possem* 24, 4 ex. *proficere posset,* § 8 *accipere possit.*

[2]) Praeterea quo loco Plancus Ciceroni gratias agit, 24 in., quod clausula paenultimam proceram habet, similis atque 11, 1 numerus apparet, sed cum sententiae in verba quadrisyllaba plerumque exeant, in choreum vel dichoreum eas desinere statuemus, cf. *cum pudore; — gratiarum actionem, — orationis, — probare.*

[3]) Cf. Cic. F. 10, 19, 1 'litterae tuae mirabiliter gratae — gravitate sententiarum atque verborum', ep. 12 et 16 in.; Or. 197 'quadrandae orationis industria — latebit eo magis, si et verborum et sententiarum ponderibus utemur'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## 1. De verbis inter se referendis.

Postremae Planci epistulae verba *ex eo tempore* (24, 6) relata ad apodosin *aut oppressum* cet., quod Andresen ad l. voluit, nullam habent vim, immo repugnant adverbio *iam*, sin condicionali assignamus sententiae *si venire voluisset*, sicut eadem recepta sunt protasi a Cicerone Phil. 5, 30 extr.,[1]) optime conveniunt cum sententiarum conexu, ex quo Caesar a Planco ab illo tempore, quo se venturum promiserat, usque ad praesens frustra exspectatus est; longiore autem spatio suae sententiae verba praemissa sunt, ut antecedenti comparativo *superiora* opponerentur.*)

Quod ad Caesaris nomen attinet subinde hac ep. repetitum, si de adulescente agitur, quocum solo tum auctori res esse potest, non est, cur amplius quid addatur; alterius mentionem fieri 24, 5 *in familiaritate Caesaris* et paucis versibus post *ex tam insigni amicitia mea atque Caesaris* ex verbis sequentibus facile potest cognosci: *vivo illo* et *hunc filii loco illius — iudicio supstitutum.*[2])

Attamen a Marco fratre Lucius Antonius in Planci ep. 15, 3 secernitur hoc praenomine addito, cum ille nomine gentili[3]) satis notatus sit, cf. 11, 2 et 15, 2.

## 2. De sententiis dissolutis.

Sententiam neque adiunctam neque subiunctam sive a proxima dirimis sive alteri mediae inseris, utrumque ad vim potius verborum quam ad obscuritatem augendam pertinere Planci exempla testantur.

### a. De asyndeto.

Non minuitur sententiarum perspicuitas asyndeto. Ita posterior sententia, qua prioris causa continetur, cum coniunctiones habeat inter se respondentes, facile caret coniunctione causae 21, 7 *concupiscere me nihil oportet; habeo te et amantissimum mei et — summae auctoritatis* et altero loco simillimo 9, 3 *concupisco autem nihil mihi —; et temporis et rei te moderatorem f. patior esse.* Priore rursus sententia, quae alterius est causa, continetur 11, 1 *primae — posteriores — sunt: non mediocris adhibenda mihi est cura;*[4]) 24, 4 *aliquanto — propius esse, quod ad Caesarem attinet, videbamus: nihil destiti eum litteris hortari,***) sed coniunctionem conclusivam, velut 'quare, itaque', ideo a scriptore repudiatam esse puto, ne negatio primo, quem obtinet, loco pulsa vi sua privaretur.

### b. De parenthesi.

Parenthesin Plancus saepius adhibuit complexione plerumque non turbata; nam praeter longiorem 7, 1 brevis statuenda est 9, 2 *ita — liberetur* et 24, 6 *quicquid — facio*, statui potest 4, 3 *optabilis*

---

[1]) Haec sunt verba Planci 24, 6 *neque ego superiora repetam, sed ex eo tempore, quo ipse mihi professus est se venire, si venire voluisset, aut oppressum iam bellum esset aut — extrusum;* haec Ciceronis Phil. 5, 30: 'si ex eo tempore dies nullus intermissus esset, bellum profecto nullum haberemus'.

[2]) Aliter res se habet in Matii ep. 11, 28, qui § 6, postquam Caesarem nominavit, quem sibi ereptum toties dolet, Caesarem adulescentem semel commemorat.

[3]) Quod tamen ipsum 15, 3 in. inter verba *equitatu meo* et *equitatum eius*, ut hoc pron. habeat, quo referatur, sicut Andresen ad l. voluit, restituendum puto Lepidi nomine versu ante et post scripto. Quod nomen omissum nego excusari loco Caelii 8, 8, 4, quem Mend. attulit. Huius enim alia est natura, quod Caesaris nomen illo tempore, quo ep. missa est, in omnium ore fuit et memoria ,eo usque, ut Galliarum nomine paulo ante prolato, quis decessisset, nemini, nedum Ciceroni, dubium relictum esset, cum eum decedere legeret.

[4]) Cum causali praemisso haec simillima sequitur sententia ap. Caes. G. 3, 20, 1 'non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intellegebat'.

*) Difficultatibus admodum impedita est sententia 4, 4 *sum in exspectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe mense Ianuario geratur, ut sciam;* nam postrema sententiae verba 'ut sciam' longiore enuntiato bimembri interiecto ad prima non facile possunt referri et Plancus, cum ipse illo tempore exspectatione suspensus teneretur, si se in exspectatione esse dixisset, vitiose vel insolentissime locutus esset, cf. p. 8 adn. 8 sq. Sed ipsa, quae sequuntur, verba 'interim — hic — sustineo' hac demum sententia auctorem de se dicere coepisse, superiorem alio pertinere ostendunt, cf. 24, 8. Corrupta igitur verba esse cum pateat, qua ratione emendari possint, quaeritur. Imperativo 'cura' pro indicativo illo 'sum' recepto, qua nulla fere lenior mutatio reperiatur, et postrema verba 'ut sciam' facillime puto huc referri et subsequentia 'in exspectatione' intellegi posse, ut in Cic. ep. 15, 4, 5 'interea in hoc tanto motu tantaque exspectatione maximi belli rex Deiotarus — misit', cf. 11, 15, 1.

**) In asyndeto igitur nihil causae esse puto, cur eiectis verbis 'ad — attinet' enuntiatum praemissum secundarium reddamus, neque, qua circumlocutione subiectum bis indicatum vidimus (9, 2 23, 6, cf. p. 9), eadem obiectum non posse continere recte quis dixerit; sed ut ferri possit locutio, necessaria certe hoc loco non videtur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*mihi quidem* et 9, 3 *contra quod ipse pugno;* minus probabilem duxerim illam, quae 18, 2 a verbis, si recte tradita essent, inciperet *et cautius* per plures versus pertinens usque ad *obviam ire.**) Pluribus vero sententiis interpositis quam facile a structura instituta scriptor deflectat, exemplum docet 7, 1, ubi apodosi longiore spatio praemissa pro condicionali sententia exstitit adversativa. Sed consulto auctorem ita scripsisse puto, ne orationis cursus languidus fieret atque enervatus.

## B. De convenientia servata aut violata.

Singula singulis verbis respondere cum Plancus quam maxime cuperet, videtur factum esse, ut participium, sive activi sive passivi esset generis, non addito infinitivo 'esse' aequaretur cum infinitivo: 9, 1 *pervidere te spero, cogniturum magis recipio,* 23, 1 extr. *ne viderer et — offensus et — alere.* Idem, etiamsi enixe operam dabat, ut verba aequaliter distribueret, tamen cavebat, ne concinnitatis gratia sententiae detrimentum afferret; quin, cum res postulabat, ab inconcinnitate non abhorruit: 8, 2, ubi ablativo gerundii *celeriter pollicendo* insequens respondet sententia condicionalis *si in eo* (i. e. in pollicendo) *mihi temperavissem.*[1])

### 1. De praedicativis minus congruentibus.

Variae in his epistulis praedicativi sunt inconcinnitates, atque quod in participii futuri terminatione propioris nominis genus auctor spectavit 11, 3, neglexit 21, 5, iam supra memoravi (p. 9). Deinde, quae numeri inconcinnitas invenitur 24, 6, ad similem Ciceronis (5, 1) revocavi ibid. adn. 4. Personam denique 4, 2 *bona — tanta sunt, ut praeter bonam famam nihil desiderare videantur* quod tertiam Klein obs. p. 39 falso monuit positam esse, primam requisivit, cum illa bona negaret bonam famam desiderare, Plancum male audisse diceret: haec inconvenientia, cum lenissima possit mutatione sanari (videamur), minoris mihi videtur momenti.

### 2. De adiectivi comparati, distributivi pronominumque inconvenientia.

Sequentis comparativi Plancus nullam rationem habuit 11, 1 *primae sententiae, posteriores —,* sed ne Cicero quidem comparativo praemisso in adverbio sibi constitit varians Inv. 2, 147 'utram potius', § 174 'utri potissimum'.[2]) Ex usu communi ille comparativum adhibuit 18, 3 *ut prior occurrerem;* idem 4, 2 Antonii partem, ne apertius indicaret, consulto *aliam* videtur nominasse, cf. progr. p. 7 adn. 16, quae locutio de Pollionis admonet 'nullius partis esse' 31, 2, cf. Schmalz ed. alt. p. 38.

Unum quin Plancus litterarum par significaverit 18, 2 *binis continuis litteris et Lepidi et Laterensis,* nemo dubitabit, cui, quam Schmalz p. 37 sq. protulit, opinio probetur, qui v. d. Pollionis (33, 3) 'binis tabellariis in duas naves impositis' duos quam duplicem numerum significari maluit.[3])

Pronomen relativum *cuius* 23, 6 *veniat Caesar cum copiis —, aut si ipsum aliqua res impedit, exercitus mittatur; cuius ipsius magnum periculum agitur* neglecto propiore nomine *exercitus* eo facilius ad nomen remotius *Caesar* referri potest, quod pronomen auctum est altero *ipsius* et hoc pron. determ. paulo ante in sententia condic. insertum ad idem illud nomen spectat; simili ratione pron. rel. 15, 4 *Bruti erit officium occurrere ei, cui* cet. utrum ad pronomen proximum referendum sit an ad nomen proprium, quod primum sententiae locum obtineat, vix cuiquam dubium esse puto, cf. Andr. ad 10, 30, 1. At 23, 2 *Lepidus,*

---

[1]) Gerundium bis adhibens partium aequalitatem Pollio servavit F. 10, 31, 6 'manendo in provincia an ducendo exercitum in Italiam'.

[2]) Simile quid Köhler protulit ex Arnobio, qui est aetatis multo recentioris, act. sem. Erl. I p. 409: adv. gent. 2, 11 'aut vos plurimum aut nos minus'.

[3]) Sed dativus quoque Planci *ulli* 8, 1 (cf. Cic. de fin. 1, 50 'numquam cuiquam', ad Att. 1, 19, 11) de Pollionis dativo 'nulli' (31, 5) pronomini subst. supposito admonet (cf. Schmalz p. 39); Asinii 'non quisquam' (ap. Quint. 9, 4, 132), quae verba Cicero iuxta ponere noluit (cf. Landgr. ad Rosc. § 52 'non fere quisquam' p. 235) rursus de Planci *non ulla res* 18, 2, cuius locutionis similis etiam apud Cic. reperitur Brut. 312 'ut non ulla esset, quae non digna videretur'.

*) Sed hic copulativam Medicei coniunctionem cum Lambino eo libentius in concessivam mutaverim, quod eiusdem generis brevior circuitus 4, 2 ex. et 24, 3 ineunte invenitur; neque obesse puto verbum regens *sciebam* 18, 2 toti periodo praefixum, quod, ne pluribus verbis interiectis oblivione obrueretur, circuitu exeunte susceptum est altero verbo finito *videbam.* — Coniunctionem concessivam 'etsi' ab eo receptam esse, qui novissimus epistulas ad fam. edidit C. F. W. Müller (Lips. Teubn. 1896) non sine oblectatione quadam his diebus vidi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*desperato adventu meo, quem non mediocriter captabat, se — coniunxit* utrum ad nomen antecedens *adventus* pronomen pertineat, an ad personam referamus pronomine possessivo indicatam, dubitari potest.[1]) Sed cum nusquam ambiguitas eodem genere et nominis spectati et personae pronomine poss. indicatae exsistat, ad voc. *adventus* relatum malim, cf. b. Afr. 58, 3 'accessum hostium aucupabatur'. In pronomine rel. minus concinno 21, 1 *omnia feci, qua re resisterem* cur diutius commoremur nihil est.[2])

In postrema denique epistula § 6 non tam in adiectivo *gloria — necessaria* offendo[3]) quam in pronomine reflexivo pro determinativo usurpato, cf. progr. p. 7 adn. 17.[4])

### 3. De coniunctionibus.

Epistularum argumentatio partiumque distributio eo magis illustratur, quod certis narrationis locis certae plerumque adhibentur particulae. Eo pertinet, quod itaque poni solet, quo loco rerum praeteritarum et praesentium condicione descripta Plancus, quae ipse facere constituerit, exponit, e. gr. 15, 3; eodem quodsi toties epistula vel paragr. exeunte positum, si forte auctor adversariorum condicionem reputans vel sociorum infirmitatem metuens eorum, qui favent, fidem implorat, suam pollicetur, velut 23, 6, imprimis 15, 4, quo loco non minus quam tres sunt circuitus, in quibus post futurum exactum in protasi simplex futurum in apodosi legitur.[5]) Praeter coniunctionem vel adv. idem verbum finitum comparet 4, 4 *interim — sustineo* et 24, 8 *nos interea — sustinemus.*

#### a. Condicio indicatur.

Quod de praepositionibus aliquanto ante docuimus (cf. p. 15 adn. 6), idem de coniunctionum usu demonstrari potest, accurate plerumque scriptorem similes distinxisse, veluti nisi et si non in sententia condicionali, qua crebrior vix ulla reperitur coniunctionalis in his epistulis. Atque sententia primaria negata ex communi scriptorum consuetudine ille posuit 'nisi' 9, 2 *nisi fuerit, nihil — volo,* 11, 1 *non videor, nisi forte;* in vicem (negatione ad unum sententiae voc. relata) 'si non' 7, 2 *si me fortuna non fefellerit,* 15, 2 *si prohibere — non potuisset.*

Neque tamen aliam rationem neglegendam puto, qua haec coniunctio adhibetur duabus rebus inter se oppositis, sicut factum est 9, 3 *ipse, si ab Lepido non impediar, celeritate satis faciam, si autem itineri meo se opposierit, ad tempus consilium capiam.* Eandem rationem ep. 21 in. valere existimo *puderet me inconstantiae m. litterarum, si non haec ex aliena levitate penderent,* ubi primo adspectu 'nisi' aptior videri potest.[6])

Non ita magni momenti esse duco, quod Plancus, qui 11, 3 scripsit *nullum alium receptum nisi,* idem 18, 2 praetulit *non ullam rem aliam extimescens quam,* quorum illud Ciceronis dictioni accommodatum est, hoc Livianae, cf. Antib. s. v. 'alius'.

Minus placent coniunctiones duobus locis: 18, 3 *nisi uno loco me tenerem, magnum periculum*

---

[1]) Nam ab hostibus se petitum esse Plancus ipse dicit § 5 extr., cf. phrasin Livianam 'hostem insidiis captare' 44, 24, 5, et multa huius structurae cum Ciceronis exstant exempla, velut F. 1, 9 § 13 et 23, tum Caesaris similia, cf. G. 7, 50, 4 'vestrae vitae — quos' et § 6; 1, 40, 5.

[2]) Etenim similes et Ciceronis et Caesaris loci inveniuntur, cf. ad Q. fr. 2, 2, 3 et b. G. 5, 31, 5.

[3]) Gloriam cur rem gloriosam non intellegamus, quo sensu voc. accipiendum esse p. 5 memoravi, eo minus est, quod 'gloriae' apud Sall. Iug. 41, 7 sunt 'occasiones gloriae adipiscendae, Tac. Ann. 3, 45 extr. 'res cum gloria gestae'.

[4]) Liberior, ni fallor, et participii et reflexivi pronominis, quod pro adiectivo est, deprehenditur 18, 3 *sollicitiorem certe hominem, non suis contractis, neminem puto fuisse,* quam sententiam ita puto vertendam esse: „In grösserer Aufregung jedenfalls, ohne eigene Verschuldung, ist nach meiner Meinung kein Mensch gewesen." Itaque nunc cum Manutio potius haec explicanda opinor 'non sua culpa commissis', cf. progr. p. 23 adn. 73, quam e Lambini sententia 'nondum copiis suis contractis'. Notio certe participii Planci loco prorsus alia videtur atque in Ciceronis ad Curium ep. (7, 31, 2) ubi res contractae minime sunt implicatae atque impeditae, cf. Arch. IX p. 151 'verwickelt', immo prope confectae atque absolutae, cf. Manut. ad l., 'contractus' enim idem fere valet, quod 'coartatus', cui adiectivo opp. est 'dilatatus'.

[5]) Praeterea 4, 4 11, 3 17, 1. 2 24, 1. 7. 8; item 18, 3 extr. *quae si — represserit, agam gratias,* 21, 6 *in quo si erit adhibita, res p. — permanebit,* cf. 8, 7 *haec si expeditis rebus polliceor, laetabor.*

[6]) Cuius loco cum auctor 'si non' scripsit, Ciceroni hanc alteram sententiam condic. supplendam indicavit: sin autem haec (sc. quae mihi nuntianda sunt quaeque facturus sum, cf. Andr. ad l.) ex aliena (i. e. Lepidi, cf. 4, 4) levitate pendere tibi videntur, non est cur me pudeat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*ipse Lepidus — adiret* et 23, 1 *si uno loco essem, verebar, ne — viderer nimium pertinaciter Lepido offensus.* Priore enim loco post 'nisi' notio succurrendi vel similis requiritur, ita ut verba 'uno loco' intellegenda sint 'eodem loco quo Lep.', cum pluribus scriptorum locis (cf. progr. p. 17 adn. 11) locutio 'uno loco se tenere' idem fere valeat, quod 'suo se loco tenere'; neque altero loco (23, 1), quae postulatur sententia 'si meo me loco tenerem', inesse videtur in verbis traditis.[1]) Quas difficultates expediri puto, si, de quo loco cogitandum sit, definimus ex subiecto apodosis, qua ratione inita 18, 3, sicut sententia postulat, Lepidi locus intellegendus est, cum 23, 1 auctor de suo dicat loco.

### b. Causa indicatur.

Plancus rerum causas enumerare non veretur causae coniunctione subinde repetita,[2]) cf. 7, 1 ex. *duae res faciunt: una, quod — altera quod,* 23, 5, ubi, quae sit *harum rerum* vis, quattuor, quae a coniunctione *quod* incipiunt, enuntiatis explicatur, 24, 2 *primum, quod — deinde, quod — novissime, ut,* ibid. § 5, ubi quinquies hac coniunctione praemissa sententia clauditur sic: *omne acceptum referre possunt,* cf. Andr. ad l. Neque tamen silentio praetereundum videtur, quod idem scriptor, qui pluribus locis cum temporale[3]) adhibet, media fere epistula cum historicum q. v.,[4]) cum causali, quantum scio, plane abstinuit, eo fortasse consilio, ne magis sua cogitatione duci quam ipsam rem respicere videretur, cf. p. 29 adn. 4. Saepe enim legitur ineunte praecipue epistula: 4, 1 7, 1 11, 1 18, 3 23, 1 et 5; negatione praeeunte: 24, 3 *non enim,* ibid. § 1 *neque enim,* § 7 *nunquam enim;* paucis locis, quibus sententiae gravitas videtur augenda, nam: 8, 2 11, 1 18, 3.

Uno loco 24, 3 extr. *ita universus exercitus numero amplissimus est, firmitate exiguus; quantum autem in acie tironi sit committendum, nimium saepe expertum habemus,* postquam Plancus exposuit, quam sit 'firmitate exiguus' suus cum Bruto coniunctus exercitus, cum paucae sint veteranae legiones, duplo plus legiones tironum, non enarrativam, quae exstat, particulam 'autem' exspectamus, sed causalem 'enim', cf. Andr. ad l. Sed etiamsi prioris sententiae verba neque cum iis plane conveniunt, quae 9, 3 extr. scripsit *copias adduco et numero et genere et fidelitate firmissimas,* licet Planci copias cum Bruti exercitu coniunctas non firmiores factas esse concedamus, neque, si deessent, quidquam desideraretur, cum sententia interrogativa *quantum autem — tironi sit committendum* superiori, quae desinit in verba *octo* (sc. legiones) *tironum,* rectissime possit adnecti: tamen, ne illam sententiam deleamus, qua eiecta omnia optime concinerent, ipsa partium aequabilitate hic quoque conspicua, quam Planci praeter ceteros propriam esse cognovimus, impedimur.

### c. Conclusio indicatur.

Quandoquidem rerum gestarum scriptor plerumque, quo se ordine facta et cogitata excipiant, describit novamque rem superiori adiungit, conclusivae coniunctiones in his quoque epistulis non reiciuntur, immo frequentantur; namque duabus paragraphis 4, 2 et 3 in. quare ter legitur (insuper 'igitur' interiecto), iudicandi ratione proposita, cf. 21, 6; itaque tribus continuis paragraphis 18, 2. 3. 4 ea condicione usurpatur, ut agendi ratio indicetur, cf. praeterea 15, 3 21, 5 23, 2 et 3.[5])

Ita factum esse puto, ut 15, 1 et 2 *sedulitas mea — et mihi et rei p. tulit fructum: namque cum Lepido egi, ut — rei p. succurreret — obsequioque meo — abuteretur. profeci: itaque — fidem mihi dedit se Antonium — bello persecuturum* auctor, ne coniunctionem causalem 'namque' paulo ante positam repeteret, abuteretur consecutiva et in circuitu vitioso curreret. Nihil certe offenderemus, si scripsisset: 'Sedulitas mea tulit fructum; namque, postquam assiduis internuntiis cum Lepido egi eumque hortatus sum, ut abuteretur obsequio meo, effeci, ut fidem mihi daret'; cf. quae Andr. ad l. adnotat.

---

[1]) Quare viri docti ad coniecturas confugerunt sive verbo mutato sive coniunctione et proposuerunt 18, 3 'metaremur' aut 'si', cf. Mend.; 23, 1 'nisi'.

[2]) Singulatim 'quod' paucis locis comparet: 8, 4 11, 2 17, 2.

[3]) 8, 6 'cum — sumus', 23, 3 'cum dabam'; 24, 4 'cum interim — video'; 18, 4 'cum primum poterit', 17, 2 'cum primum posse ingredi coepit'.

[4]) 7, 2 11, 2 15, 3 18, 2 21, 2.

[5]) Similiter *ita* 24, 3 extr. et 8, 4, quam particulam coniunctionis 'itaque' potestatem paene habere Schmalz (de Poll. ed. alt. p. 45) multis exemplis allatis adnotat; eodem pertinet *quo nomine* 8, 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## C. De orationis varietate et copia.

Quisquis audientes lecturosve orationis varietate et copia delectare vult, ornatius facile quam verius dicit. Studeat ubertati licet aut brevitati loquendi, dum ne aut supervacanea addat aut omittat necessaria.[1])

### 1. De dictionis varietate.

Variat Plancus dictionem, ubi agitur de periculo sibi adeundo. Non *a certamine belli se removere,* sed *periclitari* vult 18, 2 ex. § 3 in.; se paenitere negat 23, 1 *maxima pericula pro patria subire* ac pudore ibid. se coactum esse pronuntiat *hunc casum subire;* maiore etiam verborum copia utitur 8, 7 *ad societatem integerrimorum et maximorum periculorum accedere;* quin gladiatoria locutione[2]) usus 21, 6 *depugnare* pro re p. ac mori se paratum esse adfirmat; fratrem vero suum *ad omnia pericula principem* praedicat 17, 2.

Antonius, qui rei p. gravissimus hostis fuit acerrimusque Ciceronis inimicus, a Planco 15, 4 *latro,* § 1 *perditus abiectusque latro* vocatur,*) omnes adversarii *perditi* 11, 2 extr. 15, 4 21, 1; *perditi hostes* 18, 3; 21, 5 extr. *perditi homines, scelerati* 21, 6 extr.; *ferventes latrones* 23, 3; etiam *parricidae* 23, 5.[3])

Magna est varietas in eis locutionibus, quibus prosper successus significatur: 4, 4 *si mihi successerit,* 7, 2 *si me fortuna non fefellerit,* 15, 4 *si nos fortuna adiuverit,* 17, 1 *si omnia mihi integra f. servarit.*

Quo magis est mirum, quod Plancus valedicendi formulam subinde iam memoratam (cf. p. 18 adn. 6) toties ep. ex. (4. 7. 11. 15. 17. 21, 6) non mutatam tenuit, praesertim cum similium, quae Cicero protulit (cf. 5, 21, 5 'vale meque, ut facis, ama', 15, 18, 2 'valebis igitur meque, ut a puero fecisti, amabis'), omnium simillima una sit 9, 22, 5 'tu me diliges et valebis'.[4])

Idem auctor in duabus epistulis eodem tempore missis locutionem *sibi temperare* adhibuit 7, 2 et 8, 2; quin etiam, si integra codicum fides agnoscenda est, trium nominum ablativos paucis versibus interiectis repetivit 24, 1 *observantia, indulgentia, adsiduitate.*

### 2. De loquendi copia.

Quod infinitivis indicatur 15, 3 *corrigere et coercere,* idem variatur verbis finitis 21, 4 extr. *aut vindicarat L. aut sanarat.* Ad unam sententiam illustrandam duo pertinent infinitivi 24, 5 *tueri eum et diligere,* duo imperativi 11, 1 *defende ac suscipe.*[5]) Non minus sermonis ubertas quaedam conspicitur adverbiis duplicatis 11, 1 *gravissime disertissimeque,* 23, 6 *vigilanter nervoseque.*

Quin tria nomina cum singulis verbis coniuncta sunt 4, 3 *viribus eniti, consilio providere, auctoritate monere,*[6]) quod Ciceronis maxime est proprium, qui similia tria verba coniunxit 9, 24, 4 'monendi, agendi, providendi', tria nomina 12, 28, 3 *consilio, cura, labore,* in epistula denique ad hunc Plancum missa 13, 29 terna et verba et nomina: § 5 'enitare, contendas, efficias', § 7 'consilio, hortatu, auctoritate'.

### 3. De sermonis abundantia.

Correlativis collatis his locis: 4, 3 *quantum — potuero, hoc omne rei p. semper futurum,*[7]) 18, 2 *si quid L. — detrimenti accepisset, hoc omne adsignatum iri,* 23, 6 denique *quicquid aliquando*

[1]) Cf. Quint. 4, 2, 44 'nam supervacua cum taedio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur'; 10, 1, 32.

[2]) Cf. Poll. 32, 3 'cum depressus in ludum bis gratis depugnasset, auctorare sese nolebat', Schmalz p. 41.

[3]) Acerbitas quaedam iudicandi aliis quoque huius epistulae locis comparet, cf. 23, 4.

[4]) Qua in re quanta fuerit facultas variandi, facile perspicimus collatis deinceps Planci, M. Bruti, Ciceronis locis similibus: 10, 9 *te, ut diligas me, si mutuo te facturum scis, rogo,* 11, 10 'tu me amabis ita, si hoc idem me in te facere senseris', 13, 47 'tu fac, quod facis, ut me ames teque amari a me scias'.

[5]) Praedicativum, quo verborum sententiam augeret, Cicero addidit F. 16, 12, 6 'ut totum te susciperet ac tueretur', A. 11, 1, 2 'ut me totum tuendum suscipias'.

[6]) Hoc loco Medicei correctorem 'monere' pro 'movere' scribentem rectum vidisse comprobatur insequenti loco in epistula, quam Cicero ad Paetum dedit brevi postquam illam Planci acceperat.

[7]) Similia leguntur verba ap. Cic. F. 1, 9, 23 'quantum litteris, quantum studiis — consequi poterimus, id omne — conferemus', simillima est sententia Prop. 4, 1, 59 sq. 'sed tamen exiguo quodcunque e pectore rivi fluxerit, hoc patriae serviet omne meae'.

*) In eadem ep. § 3 *equitatu meo persequi atque opprimere equitatum eius,* alii nomen proprium 'Antonium' ante 'atque' inseruerunt, cf. p. 29 adn. 3; C. A. Lehmann (Quaestiones Tullian. 1886 Pragae et Lipsiae) p. 52 'perditum hominem' vel 'latronem' proposuit, ante 'persequi' inserendum.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*futurum fuit —, hoc omne iam convenit* Plancum variasse orationem in priore pronomine nemo non videt, postremo vero loco praeeunte rel. indefinito post 'hoc'[1]) non puto opus fuisse addito 'omne'.

*Hoc unum* Plancus praemisit imperativo *tibi persuade* 4, 3, repetito, cf. § 2. Cicero, qui ubique fere adverbio 'sic' contentus erat,[2]) uno loco F. 2, 6, 5 eadem addidit 'unum hoc sic habeto'.

Pronomine 'idem' praemisso 'quoque' abundat 18, 2 *rem eandem, quae mihi quoque facit timorem.*[3]) Particulae 'etiam' singularis est repetitio 8, 5 *quo nomine etiam C. Furnio legato — plura etiam verbo quam scriptura mandata dedimus,* ubi alterum 'etiam' ad solum comparativum antecedentem pertinet.

Primae personae pronomen, etiamsi non premitur, brevioribus saepe vocabulis additur, quorum pondus augendum videtur, praecipue pronomini relativo: 17, 3 *quod ego* et paulo post *quo ego,* 24, 2 *quos ego,* § 6 *neque ego,* 4, 2 *in quo ego colendo,* 18, 3 *tantum ego;* cf. Landgr. ad Rosc. p. 369 'hic ego'.

Similiter, ne coniunctio vel pronomen cum sequenti huius modi voce concurreret, altero loco particulam affirmativam insertam esse puto: 23, 4 *qui quidem cum,* § 7 *te quidem, mi Cicero;* 18, 3 *sed certe nisi,* 23, 5 *quod certe, quo magis.*

Adverbii abundantia manifesta est immodico tumore turgescente sententia 23, 6 extr. *profecto, quod ad me attinet, omnibus rebus abunde rei p. satis faciam.*[4])

'Rursus' abundare videtur 15, 4 *rusus se recipere;*[5]) quaeritur tamen, utrum Antonius ex clade alio quo an rursus in Italiam se recipiat; cf. D. Bruti ep. de eadem re 11, 10, 4 *ut rusus se in Etrur. referat.*[6])

Adv. 'aperte', quod suo iure est positum 21, 3 *aperte denuntiare,* sine dubio abundat[7]) 8, 4 *cum praeferremus sensus aperte,* quod verbum idem fere valet, quod 'prae se ferre'; cf. Landgr. ad Rosc. § 87.

Cum sola vox comparativa ambigua esset, Plancus aliquoties gravius quam brevius adverbiis *pertinaciter* 23, 1 extr., *saepe* 24, 3 extr. *nimium* praemisit, *nimis* adiectivo *cautus* 18, 3.*)

Adiectivum 'praesens', si non traditum esset 21, 1 *praesentis Laterensis, qui tum apud me erat,* hoc enuntiato relativo sequente a nullo certe desideraretur;[8]) neque magis opus esse puto adiectivo ante eius modi enuntiatum 8, 3 *reliquorum, qui finitimis provinciis exercitibusque praefuerunt,* nam reliqui finitimarum provinciarum praefecti Planco opponuntur.[9])

Ut 'officium' omitti potuit 15, 4 *Bruti erit officium occurrere ei,* ita abundat voc. praedicativum *hominem* 18, 3 paulo post sequente accusativo, qui subiecti est loco, *neminem.*

Verbo 'coepisse' coniunctionis 'cum primum' notio repetitur 17, 2 *cum primum posse ingredi coepit;*[10]) at 'posse' non frustra additum esse 21, 5 ex. *dari posse sinam* Andr. ad l. confirmat coll. 24, 8.

---

[1]) 'Hoc' non adverbii loco cum verbo finito 'convenit' iungendum esse monuit Andr. ad l., quod in dubium vocat C. F. W. Müller ad 285, 3; 'omne' uno loco 24, 6 *omne Caesari acceptum referre possunt* quinque enuntiata antecedentia, quae a coniunctione 'quod' incipiunt, solum complectitur.

[2]) Cf. locutiones creberrimas: 'sic habeto, sic velim existimes, sic tibi persuade', Stinner, Opp. 64 p. 11.

[3]) Eadem est ratio particulae ad pron. relatae vel pronominis particula recepti ap. Poll. 10, 33, 1: 'utinam eodem s. c., quo Plancum et Lepidum in Italiam arcessistis, me quoque iussissetis venire'. Sed ipse Cicero pronomine personali hac particula confirmato verbi rationem non habuit F. 9, 6, 5 'quod nos quoque imitamur'.

[4]) Cicero plerumque uno adverbio contentus erat: F. 13, 32, 1 'cumulate satis f.', ad Q. fr. 2, 4, 1 'cumulatissime s. f.'; Att. 2, 16, 3 'adfatim satis f.'; uno tamen loco, quem Andr. ad 23, 6 affert, et ipse adverbia cumulavit: Q. fr. 3, 1, 16 'vehementer satis facio rebus omnibus'.

[5]) Quo loco cod. Med. 'rusus' praebet littera r supra scripta, 'ut incertum sit utra forma Plancus usus sit' (Mend. ad l.).

[6]) Haec locutio, quae in libro de b. Afr. saepius legatur, sermonis cotidiani cognoscitur, cf. Landgr. ad Rosc. § 41.

[7]) Neque tamen, quod Klein obs. p. 9 sq. voluit, adv. puto delendum esse, immo haec locutio confirmatur simillima CIL VI 1527 fr. d et e lin. 17 'palam praeferre'; Ciceroni placuit 'apertius — apertissime ferre' Planc. 34, Att. 14, 13, 2. Id tantum miror, quod in eam epistulam, quam Plancus ad senatum dedit, haec locutio irrepsit.

[8]) Idem adi. et Caesar verbo 'adesse' adiunxit (G. 7, 62, 2, cf. 1, 32, 4 'coram adesse') et Cicero (pro domo § 39, cf. Phil. 13, 33).

[9]) Recto, ut puto, sensu ductus Wieland (Übers. VII p. 231), proinde ac si tradita essent: 'eorum, qui — praefuerunt', vertit: „derjenigen Feldherrn, welche — befehligen".

[10]) In familiari praecipue sermone verba ita cumulantur: Petron. 59 'coeperat velle respondere', Sen. Apocol. 14, 2 'incipit v. r.'.

*) Loco corrupto 21, 3 *miisque desperans* (M[1], *nimisque* HD, meisque M[c]) Mendelssohn etiam nimis quam desp., quae comicorum est structura, ut Planco non indignam commendavit. Dubito an magis placeat, quod Gitlbauer (W. Stud. I p 94 sq.) proposuit 'in queis', existimans verba versu post sequentia 'in quibus' primo in margine adscripta, postea in textum recepta esse. Illud, quod Mend. coniecit, C. F. W. Müller recepit; vereor tamen, ne verba aliquanto post scripta 'in quibus' statim post 'litteras' requirantur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## 4. De breviloquentia.

Dicendi brevitas, quam cum abundantia, cui opposita est, uno 'copiae' nomine supra posito complexus sum, pluribus comparet locis. Ita Plancus uno enuntiato 23, 1 *non hoc vitio paene sum deceptus* et paene se deceptum esse concedit et negat hoc factum esse credulitatis vitio. Similis ratio adversativa non indicata 8, 3 *ut — praestaremus neque ad auxilium patriae nudi cum bona voluntate, sed cum facultatibus accederemus* inter adi. praedicativum et ablativum modi intercedit; quamvis enim bona quis sit voluntate, nisi facultates suppetant, nihil posse effici consentaneum est.

At 24, 7 *multum videntur — necessarii eius — proficere posse, plurimum, ut puto, tu quoque,* cum sententia postularet: 'sed tu quoque posse videris et, ut puto, plurimum', scriptorem, ut alterum enuntiati membrum ab eiusdem adiectivi superlativo duceret, cuius positivus q. v. gradus primum prioris membri locum obtinet, concinnitatis magis quam brevitatis studio puto adductum esse.

Qua in re quantum orationis color valeat, facillime puto illustrari posse Planci et Ciceronis, quae inter se respondent, locutionibus comparatis. Plancus enim 4, 1, ut, quas in Cicerone tuendo habeat *causas plurimas,* indicet, tres addit genetivos *vel paternae necessitudinis vel meae a pueritia opservantiae vel tui erga me mutui amoris;* Cicero ad haec spectans fusius de isdem rebus disserit 5, 1 'commendatio tua paternae necessitudinis benevolentiaeque eius, quam erga me a pueritia contulisses, ceterarumque rerum, quae ad eam sententiam pertinebant', ita ut pro illius attributis bis substituat integrum enuntiatum relativum.

Item, quae ad unam rem pertineant, Ciceronis verba 12, 3 'magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio' et Planci 11, 1 *iurgia cum obtrectatoribus propter me* inter sese respondere nemo non videt; sed, cum, quae Plancus subiecti loco posuit, durius mihi videantur ac languidius exire, Ciceronis nomen verbale 'contentio', quae addidit, attributa facillime sustinet.

Singularis ob brevitatem Planci locutio legitur 17, 2 *ad omnia pericula princeps esse non recusabat.* Gerundivum aliquod hic omissum esse suspicari possumus coll. Cic. pro Arch. 1 'princeps ad suscipiendam rationem', cf. progr. p. 11 adn. 59, vel ipsius Planci simili hac locutione: 23, 4 *ad haec pericula perspicienda — minus sagacem.*

Plura deinde quae sunt praedicativa nomina 15, 2 extr. *in cursu bonorum consiliorum* uno contineri *bono* 21, 1 progr. p. 10 adn. 48 sq. memoravi, neque alia est ratio coll. 15, 1 extr. *si ita faceret* et 21, 5, quo loco *ita* breviter scriptum videtur pro 'ita faciens'.

Praepositio cum nomine suo aliquoties integri est instar enuntiati, velut si verba codicum 'sine his' 9, 2 *sic honores praemiaque vestra suspicio —, ut sine eis nihil de meo studio persever. sim remissurus* ita explicentur: 'etiamsi honores mihi non tribuentur'. Sed huius modi pleraque, quae in his epistulis leguntur, exempla p. 15 attuli;[1]) neque apud ceteros illius aetatis scriptores similia desunt.[2])

Locutio brevitate memorabilis invenitur 9, 3 *exercitum — Rhodanum traieci magnis itineribus,* quibus verbis scriptor, ni fallor, eandem rem indicavit, quam significavit 21, 2 pluribus verbis additis: *cum Isaram flumen — exercitum traduxissem pro magnitudine rei celeritatem adhibens.* Ut illo loco verbum 'traicere' ablativum instr. ascivit, qui verbo progrediendi sine ulla offensione tribui potest, ita 'uti' praeter suam etiam mittendi structuram videtur accepisse 17, 3 med. *Gellius, quo ego interprete novissime ad Lepidum sum usus.*

## 5. De verborum detractione.

Insolentis detractionis nullum fere apud Plancum exemplum invenitur; nam pronomen personale *me* 21, 1 inter duos infinitivos positum ad utrumque facile refertur; neque magis idem 11, 1 repetendum

[1]) Cf. adn. 1 sq. 4; progr. p. 10 adn. 54, ubi praepositionem 'pro' in sententia negativa recte „wenn es gilt" verti posse memoravi, veluti apud Pollionem F. 10, 31, 3 'nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam aut deprecer', aliquotiens in Planci epistulis: 11, 3 *nec animo nec benevolentiae nec patientiae cuiusquam pro vobis cedam,* 21, 6 *nec depugnare — nec obsideri — nec mori — pro vobis paratior fuit quisquam,* cf. 23, 6.

[2]) Ita verba 'in victoria' saepe totius enuntiati instar putanda sunt et concessivae quidem in epistulis Matii 11, 28, 2 et Pollionis 10, 32, 4, condicionalis apud Caelium 8, 15, 1 atque ap. Cic. 4, 9, 2 'in victoria futurum fuisse'.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videtur, cf. progr. p. 28 adn. 24. Pronomine demonstrativo ante ablativum temporis 23, 3 (hoc) *triduo, cum has dabam litteras* facile caremus, cum enuntiato subsequenti contineatur.[1])

Adv. 'eo' post 'usque' 7, 2 *sed usque mihi temperavi, dum perducerem eo rem, ut — efficerem* eo facilius omissum puto,[2]) quia paulo post sequitur 'eo' suspensum a verbo finito 'perducerem'.

At pron. 'idem' 11, 2 *si decima legio veterana, quae — revocata — est, ad eundem furorem redierit,* nisi suo substantivo ad prius verbum suppleto: 'revocata sc. a furore', quo referatur, non habet.

Infinitivo 'esse' denique, qui additus est 21, 1 *me — esse usurum,* item § 4 *esse — pugnaturos,* participium fut. act. caret plerumque: 7, 2 *quod spero — me consecuturum,* 11, 2 *idque me praestaturum spero,* § 3; 15, 2 *fidem mihi dedit se — bello persecuturum.* Idem participium verbo finito respondet 23, 4 *et adhuc vivit et dicitur victurus* (cf. p. 23, Schmalz de Poll. ed. alt. p. 34), infinitivo praes. 9, 1 *pervidere te spero, cogniturum magis recipio,* cf. p. 25; part. perf. pass. respondet 23, 1 extr. *ne viderer et offensus et alere;* idem pluribus locis suspensum est ex verbo videndi audiendive: 8, 1 *consecutos videbam,* 23, 4 *cum in fraudem se deductum videret,* 9, 3 *nihil — tributum potest videri;* 4, 1 *te profectum audieram;* part. futuri pass. praedicativum ad verbum sentiendi accedit: 8, 7 extr. *petendum videtur,* 15, 2 *Lepidum adiuandum putavi* et 21, 3 ex. *fidem non habendam putavi.*

Quae cum ita sint, harum epistularum auctorem, qui verborum varietate et copia non mediocriter delectaretur, breviloquentiam, qua interdum partium concinnitatem augere posset, non aspernatum esse apparet. Idem, cum verborum abundantiae vel pleonasmo saepius indulgeret, parcius detractionem vel ellipsin adhibuit, ita tamen, ut infinitivum 'esse' aequabilitate non neglecta plerumque omitteret.

## D. De orationis ornatu.

Num Plancus, quem Cicero secum coniunctum fuisse testatur et philosophiae amore (F. 10, 3, 4) et studiorum artiumque liberalium vinculo (13, 29, 1), Cicerone ('patria sanctitate' sibi colendo, ut liberaliter profitetur 4, 2, cf. 11, 1) etiam eloquentiae magistro usus sit, pro certo quidem non potest affirmari; nam Suetonius, quod Plancum Ciceronis discipulum vocavit,[3]) e Seneca videtur hausisse, qui de Planco rhetorum more declamante narrat de clar. rhet. cap. 6, eundem 'summum declamatorem' laudat controv. I cap. 8, cf. Klerck cap. V.[4]) Sed etiamsi L. Munati Planci 'oratoris' neque Cicero in libro ad Brutum misso neque Quintilianus, sed primus Asconius (orat. Milon. p. 33 ed. Or.) mentionem fecit: vel ipsae scriptoris epistulae cum partium aequabilitate et numero tum variis orationis luminibus exornatae, quam probabilis Suetonii sententia sit, documento esse possunt. Cf. p. 28 adn. 3.

### 1. De tropis.

Non est cur diutius haereamus in synecdoche et metonymia, quod v. c. Plancus de tirone loquitur 24, 3 extr., de tironum exercitu cogitat,[5]) quod pro concreto abstractum q. v. posuit 24, 1, de quorum utroque loco p. 5 dixi; quod denique ad orationem variandam vel ut Ciceroni obsequeretur[6]) hostes rei p. non solum latrones, sed etiam parricidas vocat, cf. p. 33.

Quae imago contineatur participio 'fervens' 23, 3 *ab illis ferventibus latronibus,* quo de verbo iam supra dixi p. 5 adn. 2 sq., perspici puto coll. Pacuvii (Ribb. 416) 'fervit aestu pelagus' et Cic. de or. 3, 145

[1]) Quod probatur collatis inter se exemplis: Cic. Phil. 14, 15 'cum hoc triduo vel quatriduo tristis a Mutina nuntius manaret', ad Brut. 1, 3, 2, 'triduo aut quatriduo ante hanc rem — timore quodam perculsa civitas tota ad te se — effundebat'.

[2]) Inserendum adv. putavit Cobet (Mnemos. 1880 p. 192) sicut legitur v. c. Cic. nat. d. 2, 124 'usque eo premere, dum amitterent'; sed neque Cicero ubique adv. adhibuit, cf. F. 12, 19, 3 'mihi quidem usque curae erit, quid agas, dum, quid egeris, sciero' (Thielm. Arch. VI p. 60 sqq.) neque omnino hoc additamento opus esse docet Thielmann Arch. VII p. 103—113. Schmalz in addendis ap. Müll. II² ad p. 509 haec adnotavit: 'Usque' wurde zu 'dum' in Beziehung gesetzt, — dann tritt es in engste Verbindung mit 'dum' — schliesslich ist es ohne 'dum' allein im stande, konjunktionale Funktion zu übernehmen; doch gehört dies nur der spätesten Zeit an.

[3]) Cf. Sueton. ed. Roth p. 289, Reiffersch. p. 84 adn. 63.

[4]) De L. Munatio Planco, disquisitio historico-literaria, Traiecti ad Rh. 1855. Praeterea scripsit Kleyn de L. et T. Munatiis Plancis, Lugd. Bat. 57; de epistularum tempore Br. Nake Progr. Louisenstädt. Gymn. Berl. 1866.

[5]) Cf. Cic. de or. 3, 168, Quint. 8, 6, 20.

[6]) Cicero idem facit, qui Phil. 13, 20 sq. M. Antonium tum 'latronem' vocat, tum parricidam'; eiusdam nefarios conatus ibid. § 19 in. 'latronis impetus crudeles ac furibundos' nominat, § 20 etiam 'parricidii' opprobrio notat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

'repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit atque in altum — abstraxit'; libenter autem undae aestuantis imaginem ad hominis ingenium transferri praeter Cic. pro Quinct. 38 'qui usque eo fervet ferturque avaritia' poetae testantur: vetustior Accius 450 R. 'heu! cor ira fervet caecum, amentia rapior ferorque', recentior Horatius C. 4, 2, 5 sqq. 'velut amnis — fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore'. Rectissime igitur Volcacius Sedigitus de Naevio, quo maior indole atque virtute poetica vix quisquam poeta Romanus exstitit, apud Gellium (Noct. Att. 15, 24) dixit: 'Naevius, qui fervet'.

Plura singula vel nomina vel verba in his epistulis a rerum natura aut cultu usuque humano petita ad rem militarem transferuntur: 24, 4 *hoc robur n. exercituum;*[1]) 11, 2 *si nudus hoc se Antonius confert,* 8, 3 *ad auxilium patriae nudi acced.;*[2]) 23, 1 extr. *alere bellum,* 24, 6 *bellum — extrusum.*[3])

Quae a re cibaria petita sunt, adi. 'iciunus' et verbum 'delibare', quamquam ab aliis quoque translata sunt, Planco tamen neminem puto scitius coniunxisse, qui non vult 21, 2 *de laude iciuni hominis* (i. e. Lepidi) *delibare quidquam.* Ex mercatorum commercio scriptor deduxit 8, 1 *culpam redimere* i. e. compensare,[4]) 21, 3 *fidem solutam.*[5])

Personae partes res agit 8, 5 extr. *curam rei p. summae defendundae iam pridem apud nos excubare,*[6]) quo loco cura specie militis expediti excubiasque agentis proponitur.

Postremo, quae metaphora insit in vulnere rei p., velut Poll. 10, 33, 1, eandem a Planco verbo sanandi offerri 21, 4 extr., Propertii loco probatur 3, 24, 28 'vulneraque ad sanum nunc coiere mea'. Quae imago per plura verba perducta fit allegoria: 18, 3 *si quid intra cutem subest vulneris, quod prius nocere potest, quam sciri curarique possit,* neque cum hac sententia quae comparari possit similis Propertii deest, qua Amoris vis describitur: 1, 9, 29 'Qui non ante patet, donec manus attigit ossa'.

## 2. De figuris.

Cum in tropis quae sit verborum notio referat, figuras, sive paucis continentur verbis sive enuntiati ad compositionem pertinent totius, omnes fere, cum sine vocis flexione quadam aut contentione proferri non possint, oratoris potius esse quam scriptoris manifestum est. Quare, qui multis eis utatur, eum scriptorem suos fines transgressum ad alienum genus dicendi propius accedere iudicabimus; cuius rei quantam in partem Plancus veniat, singulis figuris perlustratis facillime perspiciemus.

Anaphora q. v. plurimum valet ad vocabula copiae et inopiae. Ita *omnia* repetitur 21, 1, cui adiectivo negatio *non* ante v. 'licuit' eadem paragr. ex. opposita est. In vicem nonae epistulae suam quaeque particula negationem *nihil* habet primo sententiae loco positam.[7])

---

[1]) Cf. 21, 6 *priusquam — conroborentur,* Poll. 33, 1 'et robur et suboles militum interiit'.

[2]) Qui abl. sep. intellegendus sit, nomine opposito indicatur, quod iterum significanter usurpatum est 23, 6 *cur non omnibus facultatibus — utamur?;* cf. Acc. 427 'egone auxilio nudus temere ut hosti me animato offeram', quae sententia convenit fere cum Planci 21, 5 in., Cic. ad Att. 7, 13a, 1 med. 'tradita urbs est nuda praesidio, referta copiis'.

[3]) Idem verbum Cicero definite ad C. Antonium refert Phil. 10, 10 praemissa particula 'tamquam'. Verbum 'exacuere' liberius a Planco usurpatum 23, 7 *sollicitudines — merita exacuunt* cognoscitur coll. Cic. de leg. 3, 21 'mucronem exacuere in aliquem', cf. Horatii 'mordaces — sollicitudines' C. 1, 18, 4.

[4]) Cf. Sall. Cat. 14 'flagitium red.'; Sen. Nat. Q. 6, 23, 6 'hic est Alexandri crimen aeternum, quod nulla virtus — redimet'; Symm. Ep. 8, 19 in. 'tu epistulis — absentiae moras redimis'.

[5]) Cf. p. 8 adn. 7 et Liv. 2, 31, 10 'velut persoluta fide'.

[6]) His verbis Plancus respondere videtur Ciceroni hortanti amicum, ut omni 'cura cogitatione' in remp. defendendam incumbat, in primis huius libri epistulis 1, 2 et 3, 3. Fortasse etiam verborum rationem habuit, quae legerat Cic. Phil. 6, 18 'excubabo vigilaboque pro vobis', Phil. 7, 5 'omnes vigilias, curas, cogitationes in rei p. salute defigere', quae utraque oratio quin in Planci manibus fuerit, cum octavam suam epistulam ad senatum daret, non potest dubitari; cf. praeterea Cic. Parad. 2, 17 'evigilaverunt curae et cogitationes meae'.

[7]) De negatione *non* in sententia finali cum vi repetita 23, 3 p. 18 dixi, de adiectivo *magnus* subinde ita adhibito, veluti 18, 3, p. 21 adn. 5. Quod 18, 3 ineunte legimus, idem verbum paragr. exeunte bis positum est *sed non possum non exhorrescere, si quid subest —, quod prius nocere potest, quam — possit,* quin eadem huius verbi forma in duobus continuis enuntiatis redit extremis 15, 3 *vel quod equitatu meo — possem, vel quod — praesentia mei exercitus possem,* quam sententiae aequalitatem cur deleamus, sive illic 'possemus' recepto (quod Gitlbauer proposuit, cf. Mend.) sive hic 'posset' (Baiter), eo minus esse puto, quod 7, 1 enuntiata bimembria bis similiter cadunt: — *excepi — recepi (— volui, — volui),* cf. p. 26.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad augendam notionem pertinet repetitio adiectivi ab eodem nomine suspensi: 24, 2 *ab omni omnium sollicitatione;*[1]) eodem contrariorum in gradu superlativo oppositio 4, 1 *nullum officium ne minimum quidem, sine maxima culpa videor posse praeterire.*

Alliteratio vel agnominatio comparet in Planci ep. 8, 1 *exspectatio et spes;* isdem vocabulis inverso ordine positis eadem figura adiectivi repetitione aucta est in Cic. ep. 5, 3 'magna spes in te et in tuo exercitu, magna exspectatio', altero eorum nominum hoc pare subsequente: 'cuius, per deos! gratiae gloriaeque cave tempus amittas'.[2])

Non alio pertinet figura, cui nomen graecum grammatici dederunt, etymologica, qua eiusdem radicis verbum cum nomine coniungitur. Huius modi perrara figura ep. 21 § 6 in tertio trium membrorum pariter formatorum exstat: *si occasio tulerit — si necesse fuerit — si casus inciderit;*[3]) similis est locutio Plauti Rud. 2, 1, 11 'eventus evenit'.[4])

Proxime ad hendiadyn accedit locutio 11,1 *exitu rebusque cognosc.*, quod ostenditur coll. Cic. ad Brut. 1, 10, 4 extr. 'rem p., quam eventis rerum liberavisti, exitu libera'. Aliis locis Plancus, ut verborum gravitatem augeret, vocabula cumulavit, genetivo explicativo addito: 23, 7 *pietate meorum officiorum,*[5]) 24, 1 *tam vili munere defungor orationis.*

Litotes[6]) quanto opere interiectione confirmetur 7, 2 *non medius fidius mediocri dolore adficiebar,* ostenditur sententiis tum argumento tum conformatione simillimis, sed multo debilioribus collatis: Pollionis 33, 3 'non mediocriter doleo', Ciceronis 7, 17, 2 'non enim mediocri adficiebar — voluptate'.[7]) Profitendi notio verbo, quod illi oppositum est, negato et indicatur et augetur 8, 4 *nunquam diffitebor,* ubi verba sequentia *simulasse — dissimulasse,* quanto opere scriptor hac verborum conformatione delectatus sit, affatim demonstrant. Deinde cum ceteri actionem perpetuam verbo desistendi vel desinendi simpliciter negato indicare soleant,[8]) Plancus composito ascito negationis vim auxit 24, 4 *nihil destiti — hortari.* Rursus, cum Cicero orationem amplificet 13, 29, 2 'non sine magna iustaque causa', in Planci ep. 24, 3, ut in Bruti 11, 4, 2 haec simplex locutio legitur 'non sine causa'.*)

---

[1]) Ex Ciceronis exemplis simillima sunt, quae inter se respondent: F. 12, 6, 2 (ep. ad Cass.) 'omnis omnium cursus est ad vos', cf. § 2 in. 'omne perfugium bonorum in te et Bruto esse positum', ad Brut. 1, 10, 4 extr. 'omnis omnium concursus ad te futurus est', cf. quae paucis versibus antecedunt: 'spes omnis est in te'.

[2]) Cf. Cic. leg. agr. 2, 66; Gell. 17, 5, 1; Wölfflin p. 84 (Über die alliterierenden Verbindungen der lat. Spr. in den Sitzungsber. der bayr. Akad. d. Wiss. 81 Bd. II).

[3]) Gellius 15, 2 ex. 'si forte — aut voluntas tulerit aut casus induxerit aut necessitas compulerit' in simillima sententia et ipsa tripartita verbum aliquod transitivum ascivit neque huic cum nomine suo ullam voluit esse similitudinem.

[4]) Cf. Landgraf act. sem. Erl. II p. 33 (de figuris etymologicis linguae lat.). Nominativo crebrior vocabuli est ablativus, velut Hor. C. 2, 10, 10 'graviore casu decidunt'; cf. Landgr. p. 11: 'casu cecidit spes' Afran. com. 350 R.; ac ne verbum, quod illi respondet, desit transitivum, locutionem velim Ciceronis conferas 'occidione occidere' F. 15, 4, 7 et Phil. 14, 36.

[5]) Plenum verborum sonitum auctor videtur affectasse pluribus genetivis, qui in orum desinant, iuxta positis, cf. 8, 4 *ad effectum horum consiliorum pervenire,* § 7 *ad societatem integerrimorum et maximorum periculorum accedere.*

[6]) Quae haec sit orationis simplicitas, puto cognosci posse coll. 4, 3 *non est ignotus mihi sensus t.* et 23, 1 *pulchre noram;* deinde, quae inter se opposita sunt verba 23, 6 *quod si vos istic non defueritis, profecto, quod ad me attinet, omnibus rebus abunde rei p. satis faciam;* Ciceronis denique et Planci, quae inter se respondent, sententiis: 3, 2 'omnia summa consecutus es virtute duce, comite fortuna', 5, 3 'fortuna suffragante videris res maximas consecutus', 4, 2 extr. *nihil desiderare.*

[7]) Idem adi. negatum 11, 1, ut ap. Caes. G. 3, 20, 1; adverbii, quod negatum est 23, 2 extr. *non mediocriter captare,* non solum Pollionis aequalis exemplo confirmari potest F. 10, 33, 3, sed etiam Pacuvii (105 R. 'nil mediocriter') aliquanto superioris.

[8]) Cf. Poll. 10, 32, 4 'non destitit — incitare'; Cic. ad Att. 9, 10, 3 'sperare — non destiti', 7, 13a, 2 'non desino per litteras sciscitari'; idem ad Vatinium F. 5, 11, 1 'nunquam destiti praedicare', Vatinius in qua respondet ep. 5, 10, 1 'sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam'.

*) Quae tamen locutio cum neque cum vocabulo sequenti 'talis' neque cum tota sententia concessiva 'etsi — scio' satis apte conveniat neque ex multis coniecturis (cf. Mend. ad l.) ulla admodum placeat: equidem nomine substantivo ascito, quod Plancus ceteroqui in deliciis habet ('casus' 8, 2 et 6, 18, 3 21, 6 23, 1 et 4), adiectivo, quod Koch commendavit (Mus. Rhen. XII. 1857 p. 268) proposuerim 'non sine casu fatali', cf. de nominibus Cic. Phil. 6, 19 'fuit aliquis fatalis casus — voluntarius', de locutione Cic. de prov. cons. 34 'non sine aliquo divino numine'; b. Afr. 58, 4 'non sine ratione', Wölffl. ad l., 35, 1 'non sine magno consilio'. Itaque 24, 3 *etsi, quanta sit aviditas hominum non sine casu fatali victoriae* auctor, ne Ciceronis animum offendat etiam atque etiam (epp. 13. 14. 19. 20) hortantis, ut bellum aliquando exstinguatur, hanc victoriae aviditatem non certi cuiusdam hominis sed omnium esse neque hominum arbitrio sed rerum vi quadam fatali exstitisse dicit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hac figura si quis utitur, vitio negato virtus aliqua significatur, sicut fit 21, 3 *ego non malus homo hoc suspicabar;*[1]) sin virtute per irrisionem laudata vitium et indicatur et reprehenditur, simulationem habemus: 21, 4 *viri boni.*

Quae sit ironia in adverbio 23, 1 *pulchre noram,* illustratur collatis his exemplis: Plaut. Mil. 405 'peribis pulcre', ubi Brix similia adnotavit, Liv. Andr. 40 R. 'puerarum manibus confectum pulcerrime'. Deinde quae in Caesare spes sit ponenda, auctor non sine irrisione, quidquid adversarii acceptum ei referant, 24, 6 enumerans efficit, ut luce sit clarius.

Hyperbolen, qua figura non multo aliter atque ironia sententia magis quam aequum est augetur, reperio 21, 4 paragr. exeunte; iniuria enim milites, etiamsi a rebellione non longe absunt, recusare dicerentur, quo minus cum ullis pugnarent, nisi ex more militum exaggeratae[2]) haec verba essent orationis pariter atque sequentia *hostibus omnibus iudicatis.**)

Verbi et repetitionem et confirmationem habemus epistula 11 ineunte *immortales ago tibi gratias agamque dum vivam, nam relaturum me adfirmare non possum,* qua auctor et a falsa interpretatione verba sua defendit,[3]) deinde fautori suo gravissime se commendat, cum nisi grato animo suo negat ulla ratione se posse responsurum Ciceronis in se beneficiis, qui ep. 19 in., cum se scire respondet re ipsa atque animo illum esse gratissimum, verba amici probat (cf. 24, 1); idem in ep. ad Vatinium data amicum affirmat non modo habuisse gratiam, verum etiam cumulatissime rettulisse.

Pluribus Plancus figuris utitur, quae ad sententiae formam pertinent; praeteritione 24, 6 *neque ego superiora repetam, sed,* percontatione 23, 1 *quid ergo est?,* interrogatione 8, 2 *quis — concupiscere potest?* addubitatione 23, 6 *pro urbis vero salute cur non — utamur?,***) gradatione per tria sententiae membra ducta 21, 6 *nec depugnare — nec obsideri — nec mori,* quibus omnibus, ne languidius oratio profluat, scite prohibet; eis vero figuris, quae vehementius animum commoveant, velut reticentia, exclamatione, apostrophe, quas orationi magis quam epistulae convenire constat, suo hic iure abstinet. Illae tamen etiam leniores si cui forte nimis multae videntur, is reputet velim, Plancum imperatorem praeter multas epistulas ad Ciceronem legendas nonnullas etiam ad senatum misisse (cf. 12 et 16 in.) recitandas, quibus ornatiorem orationem aptam esse concedamus oporteat.

---

[1]) Haec verterim: „so dachte ich in meiner Arglosigkeit", cf. Cic. Tusc. 2, 44 'venit Epicurus, homo minime malus vel potius vir optimus; tantum monet, quantum intellegit', quibus verbis adducor, ut Laterensem a Planco 21, 3 sanctissimum virum non sine derisione laudatum ducam, quem ad pericula perspicienda 23, 4 'minus sagacem' vocaverit.

[2]) Extenuatae rursus videntur orationis, quae 24, 6 leguntur *consulatus bimestris,* quem ad locum sanandum verumque mensium numerum restituendum plurimum viri docti operae contulerunt, cf. Mend., Müll. ad l. Sed recte, ni fallor, Andr. adnatat: „ein absichtlich verkleinernder Ausdruck (denn es waren noch 5 Monate des Jahres übrig), sei es um das Unbedeutende des Preises hervorzuheben, sei es dass Plancus glaubte, Octavian werde dies Ziel nicht sofort erreichen". Mezger in bibl. Langensch., quantum in verbis inesse videatur contemptionis atque indignationis, bene exprimit vertens: „das Konsulat auf die paar Monate".

[3]) Cf. Andr. ad l.: F. 5, 5, 2 et Att. 9, 7, 1.

*) Plus aequo deminutus est numerus 15, 2 extr. *decem transierunt* et verba corrupta esse puto, etiamsi 34, 1 extr. a Lepido similiter 'complures milites et equites' transisse dicuntur. Pro illo minore quam par est tradito numero simile multo maioris numeri signum (DC pro X) ponendum, ut fortasse recte Schelle censuit (Dresdn. Annensch. 91 p. 38); aut, quod mihi videtur, 'decuriae', quae tertia fuit turmae pars (cf. Varr. l. l. 5, 91), quod voc. post 'decem' facile intercidere potuit, restituendum.

**) At 21, 7 in verbis *fratrem — excusem litteris* mendum latere et scribendum duco 'excuso si mitti vis'. Cuius scripturae indicium in Mediceo mihi videtur exstare, qui a prima manu scriptum praebet 'excuse', a correctore 'excuses', cf. Mend., qui adnotat: 'potest fieri ut excuso scribendum sit cum Kochio; tamen ne sic quidem signum interrogandi tollendum esset, sed putandum Plancum more sermonis familiaris indicativo praes. temp. usum esse pro coniunctivo dubitativo'. Illud 'litteris', quod mutandum censeo, ferri quidem posse concedo, cum auctor, num peculiari epistula opus sit, qua fratrem excuset, (cf. tamen 11, 15, 1 'per litteras excusare') dubitanter quaerat; nam priorem ep., quacum haec coniuncta erat, consueta apud hunc valedicendi formula conclusam esse manifestum est. Sed praestare puto 'si mitti vis', nam consulibus ad Mutinam amissis — cf. 21, 4 et C. F. W. Müller in novissima epistularum editione (Lips. Teubn. 96) ad 281, 27 — 'rem p. nudatam fratre suo praetore in urbanis rebus indigere' putat, cf. 17, 2. Ne autem, quo frater mittatur, desideremus, 21, 7 verba sequuntur 'istoc recurrere non dubitabit'. Missus est; nam et Plancus in ep. paulo post data (17, 2) se eum coegisse profitetur 'isto proficisci' et Cicero de senatusconsulto eum secum egisse affirmat 22, 2 *mihi Plancoque fratri visum est uti eo s. c.* (cf. Müll. ad 283, 6).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Reliquum est, ut, quicquid sermonis Planciani proprium est cognitum, paucis verbis comprehendam aliaque nonnulla, quae toto hoc libello dispersa eodem pertinent, collecta addam.

Scripturae, quanta codicum est fides, constantem ut auctor aequabilitatem neglegit, ita, ubi optio data est, vetustiorem verborum formam recentiori saepenumero praefert atque in flexione eius modi formas, cum inter se sint praesidio, non singulas examinandas, sed omnium puto habendam esse rationem.

In verborum delectu, quae epistularum universa est affinitas cum sermone cotidiano, huius nonnullas locutiones Plancus usurpavit neque tamen, qui sermonis urbani fines essent, parum videtur reputasse.

Non secus in syntaxi Plancus, ubicunque ab optimorum usu recessit, suum iter non invita Minerva, ut aiunt, ingressus est, quin in praedicativis nonnunquam (cf. p. 10) ingeniosa, ni fallor, inventione exstitit. Qui cum in obiecto applicando anxie, ut ita dicam, aequalium vestigia persequatur, in illo nomine adiungendo, quod adverbii loco in ablativo plerumque ponitur, non mediocrem praepositionum copiam paratam habet. In sententiarum vero compositione liberiori dicendi rationi adeo indulget, ut eam coniunctionem, qua consilium significatur, saepius omittat, cf. p. 18.

In verborum dispositione, ut aliqua collocationis asperitas non desit (cf. p. 22), tamen, sive earum, quae inter se relatae sunt, coniunctionum creberrimum usum sive aequalem verborum distributionem numerumque orationis consideramus, magna plerumque partium concinnitas comparet.

Neque vero non modo ab obscuritate, sed ne ab inconvenientia quidem auctor ubique cavit, quae tamen non tam verbis minus aequaliter dispositis quam verbis sententiisque minus accurate inter se relatis efficitur. Idem scriptor, cuius oratio verborum copia saepius abundat quam deficit, ut ceteroqui ita in figuris, quas frequentavit, Ciceronem plerumque videtur secutus esse, neque tamen pauca habere, quae ei cum Asinio Pollione communia sint, quem Ciceroni in dicendi genere quodam modo adversarium fuisse constat.*)

*) In illo numero cum rara sunt verba et locutiones (cf. p. 5 et 8; p. 6 adn. 4; 7, 2; 30, 3) tum nonnullae verborum structurae et collocationes; cf. p. 21 adn. 5, porro 32, 5 34, 3 35, 1; 22, 4. Ad criticam rationem hos Planci revocavi locos: 4, 4 p. 29; 8, 6 p. 17; 15, 2 et 21, 7 p. 39; 21, 3 p. 34; 24, 3 p. 38. Menda typographica, quibus sententia turbetur, haec velim corrigas: p. 8 vers. 1 adiectivo, p. 15 adn. 7 petendi; praeterea fac deleas d in adversiss. p. 11 ex. Adde quaeso p. 8 adn. 6 post 'meliora' geruntur; p. 20 adn. 9 ex. post 'huius' Planciani; praeterea cf. p 8 ex. ad Cic. F. 10, 22, 1: Phil. 12, 22, de fin. 2, 3; p. 12 ad 17, 1 F. 10, 30, 1; p. 13 ad 23, 4 Müll. 284, 16; p. 16 ex. Landgr. Untersuch. p. 94; p. 18 adn. 4 Müll. ad 281, 37 (Varr. r. r. 1, 13, 7); ad p. 19 ex. cf. F. 11, 7, 3 ex., ad adn. 5 Gymn. 1896 p. 129; p. 22 adn. 2 ad Cic. ep. F. 10, 19, 2 cf. Planci 24, 1 'sed mehercules'.

## Singularum partium hi potissimi sunt tituli.

### I. De verborum forma et notione.

A. De verborum scriptura et flexione (p. 1—4). B. De verborum delectu et usu (p. 4—9).

### II. De syntaxi.

A. De enuntiato simplici (p. 9—15). B. De enuntiato composito (p. 15—20).

### III. De verborum dispositione.

A. De verborum ordine (p. 21—23). B. De partium aequalium distributione (—25). C. De numero orationis (—28).

### IV. De universa epistularum elocutione.

A. De perspicuitate aut obscuritate (p. 28—30). B. De convenientia violata aut servata (p. 30—32). C. De orationis varietate et copia (p. 33—36). D. De orationis ornatu (p. 36—39).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Reliquum est, ut, quicquid itum, paucis verbis comprehendam aliaque nonnulla, quae toto hoc lecta addam.

Scripturae, quanta codi quabilitatem neglegit, ita, ubi optio data est, vetustiorem verbo praefert atque in flexione eius modi formas, cum inter se si das, sed omnium puto habendam esse rationem.

In verborum delectu, qu m sermone cotidiano, huius nonnullas locutiones Plancus usurpa nes essent, parum videtur reputasse.

Non secus in syntaxi Pl recessit, suum iter non invita Minerva, ut aiunt, ingressus est, 10) ingeniosa, ni fallor, inventione exstitit. Qui cum in obiecto lium vestigia persequatur, in illo nomine adiungendo, quod adve r, non mediocrem praepositionum copiam paratam habet. In s ori dicendi rationi adeo indulget, ut eam coniunctionem, qua co p. 18.

In verborum dispositio non desit (cf. p. 22), tamen, sive earum, quae inter se relatae m sive aequalem verborum distributionem numerumque orationi tium concinnitas comparet.

Neque vero non modo ab entia quidem auctor ubique cavit, quae tamen non tam verbis m sententiisque minus accurate inter se relatis efficitur. Idem scri saepius abundat quam deficit, ut ceteroqui ita in figuris, quas videtur secutus esse, neque tamen pauca habere, quae ei cum As iceroni in dicendi genere quodam modo adversarium fuisse const

*) In illo numero cum rara sun . 4; 7, 2; 30, 3) tum nonnullae verborum structurae et collocationes; cf. p. 21 ticam rationem hos Planci revocavi locos: 4, 4 p. 29; 8, 6 p. 17; 15, 2 et 2 typographica, quibus sententia turbetur, haec velim corrigas: p. 8 vers. 1 adi as d in adversiss. p. 11 ex. Adde quaeso p. 8 adn. 6 post 'meliora' geruntur; p a cf. p 8 ex. ad Cic. F. 10, 22, 1: Phil. 12, 22, de fin. 2, 3; p. 12 ad 17, 1 F. 10, 3 Landgr. Untersuch. p. 94; p. 18 adn. 4 Müll. ad 281, 37 (Varr. r. r. 1, 13, 7); ymn. 1896 p. 129; p. 22 adn. 2 ad Cic. ep. F. 10, 19, 2 cf. Planci 24, 1 'sed m

## Singularu i sunt tituli.

e.

A. De verborum scriptura et fle tu et usu (p. 4—9).

A. De enuntiato simplici (p. 9— —20).

A. De verborum ordine (p. 21—23 —25). C. De numero orationis (—28).

I tione.

A. De perspicuitate aut obscu tia violata aut servata (p. 30—32).

C. De orationis var tionis ornatu (p. 36—39).

Grauskala #13 B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
C Y M

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf